MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80391-12

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

GIESEMANN, PAUL

*TITLE:*

DE METRO PAEONICO SIVE CRETICO APUD POETAS GRAECOS

*PLACE:*

TREBNITZIAE

*DATE:*

[1892]

Master Negative #

91-80391-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

880
Z8
v.5

Giesemann, Paul, 1867-
De metro Paeonico sive Cretico apud poetas Graecos Dissertatio...quam scripsit et...defendet Paulus Giesemann... Trebnitziae, apud Maretzke et Maertin, [1892].
102 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1892.

Volume of pamphlets

126642

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

**AIIM**

**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# DE METRO PAEONICO SIVE CRETICO
## APUD POETAS GRAECOS.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA

RITE CAPESSENDOS

DIE III MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

**PAULUS GIESEMANN**

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

**CAROLUS OLBRICH**, DR. PHIL.

**GEORGIUS BECKER**, CAND. PHIL.

TREBNITZIAE

PUD MARETZKE ET MAERTIN.

AUGUSTO ROSSBACH

SACRUM.

Rossbachio, praeceptore meo illustrissimo, monente de metro paeonico commentationem perscribere suscepi. Duabus autem partibus totam materiam huc pertinentem pertractare animum induxeram; quarum priore operam dedi, ut omnia, quae in metricorum vel rhythmicorum et Graecorum et Latinorum libris memoriae essent prodita, accurate colligerem collectaque in certum quendam ordinem redigerem; posteriore vero parte in omnibus eis poetarum Graecorum carminibus, ubi metrum paeonicum statuendum videbatur, artem et metricam et criticam exercere ausus sum. Quo facto facile perspicietur, quales potissimum leges in singulis carminum generibus poetae sibi imposuerint.

Priusquam autem ad ipsam rem tractandam accedo, commemorandae sunt duae, quae exstant, de eadem re commentationes, quarum altera, antequam ipse consilium in hanc materiam inquirendi cepissem, iam typis expressa erat, altera, quoad ad metrum paeonicum pertinet, hoc ipso demum anno ad finem perducta est. Sunt vero:

Seligeri dissertatio, quae inscribitur „de versibus creticis sive paeonicis poetarum Graecorum“ Regimonti 1885. et Steigeri commentatio „de versuum paeonicorum et dochmiacorum apud poetas Graecos usu ac ratione“; progr. Wiesbadn. 1886—1888 particulae I—III; Rinteln. 1890. 91. part. IV. V. De Seligeri opusculo Rossbachius [1]) paucis verbis iudicium

[1]) Rossbachius et Westphalius, Theorie der musischen Künste der Hellenen 3. Aufl. vol. III. Abthl. 2. (Leipzig 1889) p. 733 annot.

profert, quod maximam partem equidem probo. Seligerus enim non solum, quae de metro ipso tradita sunt, pleraque non respexit, sed etiam, quae viri docti huius aetatis de eo iudicaverunt, mirum in modum neglexit: quamquam in primo prioris partis capite leges a Rossbachio et Westphalio constitutas ipse tanquam primarias recepit (cf. Selig. p. 4), tamen iam proximo capite discrimine inter paeones proprios et trochaeos syncopatos non facto creticos et trochaeos uno eodemque versu consociare non dubitat. Velut eo procedit, ut versum huius formae — ◡ — ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ — ◡, qualis exstat in stropha iambica Andromachae Euripideae (v. 1205 = 1219 [1]), ex monometro paeonico et tripodia trochaica compositum esse censeat (p. 19) [2]. Neque magis respexit, ab ipsis metricis antiquis pro legitima cretici forma (— ◡ —) alteram ditrochaicam statutam esse (— ◡ — ◡), cui nomen *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* indiderunt; ipse enim capite tertio prioris partis omnes eos locos, ubi talis creticus legitimo cretico vel paeoni antistrophico respondere videtur, coniecturis emendare studet; quamquam uno loco (p. 50) Schmidtium [3]) secutus pentametrum huius formae statuit: — ◡ — ◡ / — ◡ ◡ ◡ / — ◡ — / — ◡ — / — — (Pind. Olymp. II, epod. 2). Huc accedit, quod saepius ipse secum pugnat in diiudicandis nonnullis versibus, id quod, cum singula fusius pertractabimus, clarius elucebit. Postremo ne criticam quidem eius artem laudem: etenim multis locis omnino ipsius iudicium deest, compluribus solam Schmidtii sententiam sequitur, quamquam multa atque ea gravia argumenta contra illam possunt afferri: sed de ea quoque re in singulis carminibus tractandis accuratius dicetur. Summatim igitur iudicantes minoris pretii illud opusculum esse censemus.

---

[1]) Euripidis tragoediarum versus in hoc opusculo afferuntur secundum editionem tertiam ab Augusto Nauckio curatam (Lipsiae 1887—89).

[2]) conf. R. et W., III, 2 p. 287 annot. ad hunc versum.

[3]) J. H. Heinr. Schmidt, die Kunstformen der griechischen Poesie und ihre Bedeutung. vol. I, p. 383.



Plane aliter iudicandum est de illa Steigeri commentatione, cuius ad hoc tempus quinque particulae editae sunt. Atque vir ille doctissimus, cum dochmium nihil esse nisi monometrum paeonicum anacrusi iambica paeonum propria praemissa censeat, paeonicum quoque metrum accuratius pertractavit et in particula I de lyricorum et comicorum poetarum, particula II. III. V. de tragicorum usu fusius disseruit. Concedendum est Steigerum summa cum sagacitate et diligentia huic materiae operam dedisse, atque saepius facere non potui, quin omnino ei assentirer, ut primum quidem frustra operam meam esse impensam putarem. Sed ut nihilo minus denuo in hanc materiam incumberem, duabus potissimum causis sum permotus. Primum enim ne Steigerus quidem omnia, quae apud scriptores metricos rhythmicos grammaticosque de metro tradita sunt, verbis exsecutus est; immo strictim tantum hanc attigit quaestionem et solius fere Hephaestionis rationem habuit. Praeterea variae exstant quaestiones, atque eae graviores, in quibus ab illo dissentio; velut in eis, quae de ratione inter dochmios et paeones intercedente disseruit. Postremo autem complures versus omisisse videtur, in quibus meo quidem iudicio metrum paeonicum inest. Sed de his disserendi procedente opusculo occasio erit.

Primae partis paragrapho ultima, quae de metri origine ac nomine apud scriptores veteres indagare potuerim, adiunxi. Quamquam nihil fere novi in illa profertur, tamen, ut rem plene cumulateque perficerem, ne haec quidem praetermittenda esse putavi.

---

# Pars prior.

## Caput I.

Priusquam, quae leges de metro paeonico ex veterum hominum metricorum scriptis statui possint, quidque viri docti huius aetatis de eo censuerint, in medium proferam, operae pretium esse videtur paucis exponere, qui potissimum scriptores adhibendi sint ad metrum diiudicandum.

I. Temporis igitur ratione habita initium faciendum est ab Aristoxeno, cuius ex operibus rhythmicis et musicis pauca tantum fragmenta ad nos pervenerunt, ut non multa ex illis de rhythmo paeonico percipere possimus.

II. Idem dicendum est de Heliodoro „inter Graecos artis metricae antistite aut solo aut primo“ (Mar. Victor. in Grammat. latin. ed. H. Keil vol. VI, p. 94, 7). Cuius scripta quamquam nulla his quidem temporibus supersunt, tamen optime de eius doctrina certiores facti sumus. Etenim ex scholiis Aristophaneis quae sint Heliodoro attribuenda, docuit Carolus Thiemann in libro, qui inscribitur „Heliodori colometriae Aristophaneae quantum superest“. Halis 1869 [1]).

III. Heliodori autem auctoritatem inprimis secutus est

[1]) Heliodorum medio saeculo post Christum natum primo floruisse recte demonstrasse videtur O. Hense in libro, qui inscribitur heliodoreische Untersuchungen. Leipzig 1870.



Hephaestio in scriptis suis metricis [1]). Hic vero cum *ἐγχειρίδιον*, quod vocatur, tironum tantum in usum conscripserit, in quo rhythmicas leges vix tangeret, mirandum non est obiter tantum et summatim, ut ita dicam, singula metra eum tractavisse. Eadem de causa in capite decimo tertio, ubi de metro paeonico agitur, cum de rhythmo ipsius pedis nihil fere insit, maximam partem de tetrametri paeonici variis compositionibus quaeritur. Attamen exstant commentarii et scholiorum collectiones summi pretii maximique momenti, e quibus metrici illius hominis doctrina facile suppleri possit.

Sunt autem:

1. *Γεωργίου τοῦ Χοιροβοσκοῦ ἐξήγησις εἰς τὸ τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον*[2]).

2. Scholia Hephaestionea A, quae vocantur duce Westphalio[3]).

3. Scholia Hephaestionea altera[4]). In hac vero scholiorum congerie nihil fere de metro paeonico inest.

IV. Initio saeculi post Christum natum tertii scriptor metricus vel potius musicus exstitit Aristides Quintilianus, quem quidem in libri, qui inscribitur *περὶ μουσικῆς*, ea parte, ubi de metris egit, Heliodori doctrinam recepisse omnes consentiunt.

Omnino autem Heliodori opera primarium tanquam fontem omnium fere metricorum Latinorum esse recte dicas, qua de re accuratissime disputavit Hensius[5]).

[1]) hoc optime ostendisse videtur idem Hensius, heliod. Untersuchungen p. 108; 112 sqq. 131; 156 sqq.

[2]) edita a Guilelmo Hoerschelmann in „anecdota varia graeca et latina“ edd. Schoell et Studemund. vol. I. p. 33. sqq.

[3]) insunt in Hephaestionis editionibus Gaisfordianis annis 1810 et 1855 curatis et in Westphalii edit. a. 1866; praeterea eorum partem ex optimo codice Ambrosiano J 8 ord. sup. edidit Studemund (anecd. var. I, 119 sqq).

[4]) integra primum edidit Guil. Hoerschelmann in programmate ad solemn. Caes. Univ. Dorpat. conscripto (a. 1882).

[5]) acta societatis philologae Lipsiensis edid. Frider. Ritschelius; tom. IV. inest: Hense, de Juba artigrapho.

V. Per Jubam igitur „Heliodori vestigiis insistentem“ (Keil GL VI, 94, 6) illius doctrinam recepit Aphthonius; quem ad verbum esse compilatum a Mario Victorino[1]) non negamus. Hic vero fusius egit de metro paeonico in libro secundo artis grammaticae, qui inscribitur „de prototypis speciebus novem“. (cf. GL VI, 96, 10—98, 15). In ipso autem Marii Victorini opere alterum quoque fontem facile perspicies:

VI. Caesii Bassi dico librum, qui inscribitur „ars ad Neronem de metris“. Is vero metrorum derivatorum doctrinam recepit, quam inter scriptores Latinos primum M. Terentium Varronem induxisse Westphalius[2]) contendit. Hunc igitur secutus Marius Victorinus praeter prototyporum doctrinam etiam alteram derivatorum recepit. Ceterum perpauca tantum de metro paeonico ex ipsius Bassi libro memoriae sunt prodita[3]).

VII. Perpauca de metro paeonico insunt in Atilii Fortunatiani arte (GL VI, 290, 27—291, 2), quae vero novi nihil continent. Graecum autem, quod profert, exemplum ex

---

[1]) conf. acta Lips. tom. IV, p. 101.

[2]) R. et W. Theorie der mus. Künste vol. I, p. 204. 205 (edit III).

[3]) Videatis, quantopere inter se consentiant:

Caesius Bassus GL VI, 264, 17—25:

Paeonicus versus quadratus ab Aristophane compositus est, ex eo paeone, qui constat longa syllaba et tribus brevibus. Cluditur autem cretico, qui et ipse eiusdem generis et temporum totidem, quot ille, una parcior syllaba est . . . . . huius exemplum:

egregia percoluit ingenia musice
sic Tiberis implacidus in maria labitur.

Mar. Victor. G L VI, 97, 34—98, 5:

sed et tetrameter paeonicus catalecticus, is duntaxat, qui maxime in usu est, ex longa et tribus brevibus ab Aristophane compositus est, totus, ut vides, ex paeone primo, ultimo amphimacro, syllabis quidem minore, temporum tamen totidem, unde et catalecticus videtur, veluti:

egregia percoluit ingenia musice
sic Tiberis implacidus in maria labitur.

Eadem exempla in libro tertio inveniuntur, ubi agitur de metris derivatis. conf. GL VI, 124, 15. 17.



ipso Hephaestionis enchiridio depromptum est: *ὦ πόλι φίλη Κέκροπος αὐτοφυὲς Ἀττική*[1]).

VIII. Minoris etiam momenti sunt, quae Terentianus Maurus, Bassi sectator, de metro paeonico memoriae tradidit (GL VI, 371 v. 1533—1545).

IX. Ex metricis scriptoribus Latinis ultimo loco commemoraverim Marium Plotium Sacerdotem, hominem metricae artis valde imperitum. Initio autem eius capitis, quo de metro paeonico egit (GL VI, 542, 17—543, 11) facile omnes Hephaestionis verba cognoscant[2]).

Quae vero sequuntur, nullius fere momenti sunt. Etenim ex dimetro tantum et trimetro acatalecto constare metrum paeonicum putasse ille quidem videtur, cum allatis eiusmodi exemplis haec dicat: „ergo paeonicum metrum fit modis quattuor: aut solis paeonibus; aut primo paeone, novissimo amphimacro; aut primo amphimacro, novissimis paeonibus; aut ex utraque parte paeonibus, in medio amphimacro; quattuor species habet hoc metrum. (GL VI, 543, 8—11.) At quae sunt horum versuum exempla! Primum omnino ferri non potest:

Lacedaemonius heros (sic Keilius) ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ – –
Quid hoc est? Fortasse syllaba posteriore vocis, quae est heros, brevi habita duos paeones tertios voluit efficere; sed tertium paeonem ad carmina componenda usurpatum non esse postea videbimus. Idem dici potest de tertio exemplo:

„candidum, Musa, mihi fer honorem“ cuius metrica forma haec est:

– ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏓

---

[1]) conf. Hephaest. enchir. ed. Westphal. p. 41, 7.

[2]) Confer Plotii verba:

Paeonicum metrum multi creticum nuncupaverunt, quoniam una longa cretici, id est amphimacri, soluta constat, unde Cratinus dicens: „age Musa, dicamus creticum modum“ intulit metrum paeonicum.

et Hephaestionis enchiridii caput XIII:

*καλεῖται δὲ καὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ποιητῶν κρητικόν, ὥσπερ ὑπὸ Κρατίνου ἐν Τροφωνίῳ· ἔγειρε δὴ νῦν Μοῦσα κρητικὸν μέλος.*

X. Ex grammaticis latinis Diomedes nonnulla tradidit de metro paeonico (GL I, 506, 8—13), quae unde fluxerint, haud clare patet. Comparanda autem sunt Diomedis verba: „elegantissimum est igitur (scl. metrum paeonicum), cum per singulos pedes pars orationis impleatur“ cum eis, quae tradita sunt apud Georgium Choeroboscum [1]): *Ἡλιόδωρος δέ φησι κοσμίαν εἶναι τὴν κατὰ πόδα τομήν* et quae sequuntur. Fortasse igitur Jubam, Heliodori sectatorem secutus hoc metrum pertractavit.

XI. Praeter hos scriptores rhythmicos metricos grammaticos nonnulli tractatus de re metrica Byzantina aetate graece conscripti haud praetermittendi sunt. In quibus quae de paeonici metri usu ac ratione inveniuntur, aut ad verbum ex vetustioribus fontibus excerpta sunt, aut si quid novi affertur, hoc maximam partem perversum et vitiosum est. Inprimis enim metrici illi Byzantini, qui tractatus illos conscripserunt, hoc sibi proposuerunt, ut omnes pedes metricos exemplis illustrarent et ostenderent, unde singulorum pedum nomina origines ducerent.

1. Ac primum sub aspectum veniat tractatus ille, qui dicitur Harleianus[2]) de metris. Cuius tractatus initio singuli pedes enumerantur exemplisque illustrantur, atque paeones pag. 9, 21—10, 1 (sec. Studem.). Praeterea ille anonymus fusius pertractavit metrum paeonicum paragrapho vicesima sexta (p. 26, 1—23); quam paragraphum ex Hephaestionei enchiridii capite decimo tertio ad verbum maximam partem esse desumptam nemo non videt. Quae tamen exempla ex Pindari carminibus Olympiis ad Hephaestionea verba illustranda exscripsit, uno excepto omnino falso ac perverse explicavit. Velut versum:

*ἐράσσαιο γαιάοχος Ποσειδᾶν*, cui haec forma metrica est: ⏑ – ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ – … *τρίμετρον καταλ́ηκτικόν* vocat,

[1]) anecd. var. I, 82, 18—21;

[2]) primum editus a Gaisfordio in Hephaestionis editione altera (Oxon. 1855) tom. I, p. 317—334; denuo multis falsis lectionibus correctis a Guil. Studemund ind. lect. Vratisl. 1887/88).



itemque versum: *Ἀλκιμέδοντα δὲ πὰρ Κρόνου λόφῳ*, cui haec est forma (– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –). Facile ex his perspicitur, eius verba nullius esse pretii.

2. Ex eodem fonte, Hephaestionis libello, hausit Isaakus Monachus, cuius tractatum *περὶ μέτρων ποιητικῶν* edidit Bachmannus [1]). De paeonico metro conferas, quae exstant p. 177, 3—10; 179, 3—10; 191, 10—17.

3. Cuius cum doctrina accuratissime paucis exceptis locis consentit Pseudo-Draconis tractatus, quem edidit Godofredus Hermann (a. 1812). Vide p. 130, 6 sqq, ubi de nominis origine, et p. 166, 23—167, 2, ubi de metri paeonici usu pauca afferuntur. Qua in re meliorem contextum praebere videtur Isaacus: confer eius verba (p. 191, 12—15) cum Pseudo-Draconis verbis, quae exstant p. 166, 25 sqq. Ceterum, quae ratio intercederet inter Isaacum et Draconem, fusius exposuit Ludovicus Voltz [2]).

4. Eadem singulorum pedum exempla atque in tractatu Harleiano insunt in Appendice Dionysiana [3]) et

5. in Pseudo-Hephaestionis libro „*περὶ μέτρων*“ [4]). In eiusdem autem libri paragrapho secunda [5]) alia exstant exempla, quibuscum consentiunt, quae apud Isaacum (p. 179, 3—10 Bachm.) leguntur.

Deinde ei tractatus commemorentur duo, quos transcripsit ex optimis codicibus et in anecdotorum variorum volumine primo edidit Guil. Studemund:

6. „Anonymi Ambrosiani de re metrica“ tractatus praestantissimus ex celeberrimo codice Ambrosiano C 222 ord. inf. exaratus. Respiciendae autem inprimis sunt paragraphi

[1]) anecdota graeca edid. Bachmann vol. II (Lips. 1828).

[2]) L Voltz, de Helia Monacho, Isaco Monacho, Pseudo-Dracone, scriptor. metr. Byzant. Argentor. 1886.

[3]) Dionysius Thrax, edid. Uhlig, suppl. III, p. 120, 1—6.

[4]) edid. Henricus zur Jakobsmühlen (dissert. argent. vol X.); conf. p. 252;

[5]) dissert. arg. X, p. 224.

octava et decima sexta (anecd. var. I, 225, 25—30; 228, 1—11). Cum paginae 228, 6—10 contextu comparentur, quae exstant apud Choeroboscum (anecd. I, 61, 8 sq).

7. Nonnulla etiam servata sunt in anecdotis Chisianis [1]. Quae de amphimacro ibi [2]) sunt conscripta, ex Choerobosci exegesi hausta videntur [3]).

8. Restat, ut ex Graecis tractatibus commemoretur Trichae [4]) liber posteriore tempore conscriptus, qui inscribitur *ἐπιμερισμοὶ τῶν ἐννέα μέτρων*, ubi etiam de paeonico metro nonnulla exstant. Attamen partim ex ipso Hephaestionis libro partim ex commentariis scholiisque permultum eum compilasse facile perspicitur, cum nonnullis locis ipsius Hephaestionis nomen afferat. Velut p. 299, 27 (Westph.): *πλὴν σπάνιον τὸ ἐκ παλιμβακχείων παιωνικὸν καὶ ὡς ὁ Ἡφαιστίων αὐτός φησι ἀνεπιτήδειον;* vide etiam p. 300, 10 sqq.

9. Ultimo autem loco memoratu dignus videtur tractatus, quem ex codice Guelferbytano nono saeculo conscripto edidit Heusingerus, ex quo Keilius (GL VI, 643 sqq) „de pedibus expositionem" recepit Julii Severi, unde, quae ratio intercedat inter arsin ac thesin singulorum pedum, discimus.

## Caput II. **De metri paeonici traditione.**

Tertium rhythmorum genus est *τὸ ἡμιόλιον* sive *τὸ παιωνικόν* [5]).

„Hemiolium autem dicunt numerum, qui tantundem habeat,

[1]) anecdota Chisiana primum publicavit Guil. Mangelsdorf in programmate Carolsruhensi (a. 1876); paragraphum autem primam, de qua hic agitur, totam denuo edidit Guil. Studemund (anecd. var. I, 205 sqq).

[2]) anecd. var. I, 208, 16—19;

[3]) anecd. var. I, 59, 19 sqq.

[4]) edid. Wesphalius in Hephaestionis editione p. 251—302.

[5]) Conf. Aristox. frgm. p. 300. 302 (sec. Morell.); Psell. frgm. § 17; fragm. Paris § 10; insunt autem illa fragmenta in Westphalii libro: Fragmente u. Lehrsätze der griechischen Rhythmiker (Lips. 1861); vide p. 36, 12. 13; 37, 2—5; 77, 27. 28; 79, 18. 19.



quantum alius et dimidium amplius, ut si compares tres et duo; nam in tribus et duo et eorum dimidium continetur [1]).

Atque paeonici nomen accepit a pede illo rhythmico, qui constat ex duabus syllabis longis, quarum utraque in duas breves solvi potest, atque una syllaba brevi [2]).

Apud Aristidem (p. 39 Meib.) scriptum legimus: *ἐν δὲ τῷ παιωνικῷ γένει ἀσύνθετοι μὲν γίνονται πόδες δύο. παίων διάγυιος ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ βραχείας καὶ μακρᾶς ἄρσεως* . . . . . et hunc pedem, qui a metricis *κρητικός* vocatur sive *ἀμφίμακρος*, quod una syllaba brevis cingitur ab utraque parte duabus longis [3]), tanquam primarium rhythmum generis paeonici esse censemus: — ◡ —

Conferas Choerobosci verba [4]): *κύριος δὲ ἐν αὐτῷ* (scl. *τῷ παιωνικῷ μέτρῳ*) *ὁ κρητικός*. Solutis autem syllabis longis paeones, qui vocantur, exsistunt. Conf. Heph. c. XIII: „*δέχεται δὲ λύσεις τὰς εἰς τοὺς καλουμένους παίωνας*.

Vide Mar. Victor. (G L VI, 96, 10. 11.): „adserentes paeones originem ex cretico seu amphimacro traxisse longis eius prima et suprema in breves solutis". [5])

Efficitur igitur, prout syllaba longa posita est, paeon primus, quem vocant, hoc modo: — ◡ ◡ ◡, secundus ◡ — ◡ ◡, tertius ◡ ◡ — ◡, quartus ◡ ◡ ◡ —; utraque autem syllaba longa soluta pentabrachys exsistit, qui tamen raro invenitur [6]) (◡ ◡ ◡ ◡ ◡). Quorum pedum exempla his locis afferuntur: Pseudo-Heph. p. 224. 252; tract. Harlei. p. 9, 21; append. Dion. suppl. III; Isaac. Mon. 179, 3—10.

Attamen primum tantum et quartum paeonem ad melo-

[1]) Mar. Vict. GL VI, 42, 27 sqq. Confer. Arist. Quint. 35, 5 (Meibom.); anecd. var. I, 207, 10—12; 228, 1. 2.

[2]) Conf. Atil. Fort. GL VI, 290, 27: „paeonicum metrum ex ipso pede suo nomen accepit.

[3]) Conf. anecd. var. I, 59, 17 sqq; 208, 16—19; 225, 25—30.

[4]) anecd. var. I, 82 14;

[5]) cf. anecd. var. I, 82. 14—19;

[6]) conf. Hephaest. ed. Westph. p. 42, 8—14.

poeiam esse usurpandos iam veteres ipsi non semel docuerunt [1]).

Postremo autem commemoretur apud nonnullos metricos verba fieri de cretico, cui ditrochaei forma est: — ◡ — ◡. Sunt autem hi loci: anecd. var. I, 62, 10: *διτρόχαιος, ὁ καὶ κρητικὸς κατὰ Ἀριστόξενον.*

anecd. var. I, 229; 12—14: *ὁ διτρόχαιος . . . . . τινὲς δὲ αὐτὸν . . . . . λέγουσιν . . . . . κρητικὸν κατὰ Ἀριστόξενον.*

Arist. Quintil. 39 fin: *κρητικός, ὃς συνέστηκεν ἐκ τροχαίου θέσεως καὶ τροχαίου ἄρσεως.* Diomedes (p. 481, 6) huic pedi, quem Aristides l. l. rhythmis mixtis adnumerat, nomen indidit „*κρητικὸς κατὰ τροχαῖον*“.

Rectissime, ut mihi videtur, Rossbachius exposuit (III, 2, 738) illius formam rhythmicam diversam esse a ditrochaei forma, quae sex esset temporum, cum *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* quinque tantum *χρόνους* contineret. Omnibus igitur locis accurate respiciendum erit, dipodia trochaica utrum coniuncta sit cum versibus paeonicis sive creticis — tum enim statui potest *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* — an inveniatur in stropha plane trochaica. Contra Seligerus prioris partis capite tertio demonstrare studuit nusquam poetarum Graecorum in operibus respondere creticum ditrochaeo: attamen cum neque de rhythmicorum traditione optima dubitari possit, et revera exstare compluribus locis illam responsionem iam a Rossbachio demonstratum sit (p. 738) — qua de re in singulis strophis diiudicandis a nobis pluribus agetur — omnino falso in his

[1]) Respice, quae exstant apud Aristotelem (rhetor. III, 8. [1409 A 11—17 edit. acad. Boruss.]) *ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις . . . . . οὗτος δ' ἐστίν, οὗ ἄρχει μὲν ἡ μακρά, τελευτῶσι δὲ τρεῖς βραχεῖαι· Δαλόγενες, εἴτε Λυκίαν . . . . .. ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευταία· μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκέανον ἠφάνισε νύξ.* Eumque secutus: Demetr. Phaler. cap. 38: *παίωνος δὲ εἴδη δύο, τὸ μὲν προκαταρκτικόν, οὗ ἄρχει μὲν μακρά, λήγουσι δὲ τρεῖς βραχεῖαι, οἷον τὸ τοιόνδε· ἤρξατο δέ, τὸ δὲ καταληκτικὸν θατέρῳ ἀντίστροφον, οὗ τρεῖς μὲν βραχεῖαι ἄρχουσι, λήγει δὲ μία μακρά.*

Conferas schol. Hephaest. A. (anecd. var. I. 28 fin.)



Seligerum iudicasse censemus. Steigerus (I, 42) hanc cretici formam statuere non dubitat, quamquam et ipse confitetur „cautissime in statuendis eis esse versandum“.

Iam igitur creticus eiusque solutiones, primus et quartus paeon, *πρῶτον εἶδος* metri paeonici efficiunt. Praeterea autem metrici duo alia *εἴδη* statuerunt, quae quidem, et ipsa quinque temporum, ex duabus syllabis longis unaque brevi ita sunt composita, ut aut antecedat brevis aut sequatur duas syllabas longas. Efficitur igitur et *βακχεῖος* ◡ — —, et *παλιμβακχεῖος* — — ◡ (Heph. c. XIII init.) Attamen *τὸ βακχειακὸν σπάνιόν ἐστιν* [1]). *τὸ δὲ παλιμβακχειακὸν ἀνεπιτήδειόν ἐστι πρὸς μελοποιίαν* [2]).

Quare de bacchio quoque et antibacchio in hac commentatione non agetur. Neglectis igitur omnino secundo ac tertio paeone omissisque bacchio et antibacchio quaestio erit de solis cretico, paeone et primo et quarto, pentabrachy.

Atque primum videamus, quomodo secundum veterum ipsorum doctrinam singulae syllabae distribuendae sint inter arsin ac thesin. Primarium autem locum scriptum invenimus apud Aristidem (p. 38 fin.): *παίων διάγυιος ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ βραχείας καὶ μακρᾶς ἄρσεως.* Hoc est: Creticus — etenim hunc sub voce „*παίων διάγυιος*“ esse intellegendum nemo est quin concedat — unam habet arsin unamque thesin, atque arsin trium temporum, thesin duorum, ut hoc modo pes constituatur: — ◡ / —, et ictum habeat in syllaba prima [3]). Contra Christius [4]) arsi duo, tria thesi attribuit tempora: qua

[1]) Heph. c. XIII. Westph. 43, 9;

[2]) Westph. 40, 16.

Ad haec conferenda sunt, quae exstant in schol. Hephaest. A (advocem *μελοποιίαν*): Westph. 197, 21 sqq.

*εὑρισκομένων γὰρ δύο μακρῶν ἐφεξῆς καὶ μιᾶς βραχείας πάλιν ἀρρυθμία πολλὴ γίνεται· ἐν τετραπλασίῳ γὰρ λόγῳ εὑρήσεται.*

[3]) Vix dubitandum est, quin illo loco verba *καὶ βραχείας* ad antecedentia sint trahenda. conf. J. Caesar, Grundzüge der griech. Rhythmik im Anschluss an Aristides Quint. erläutert. Marburg 1861. p. 193. 94.

[4]) Christ, Metrik der Griechen und Römer Lpz. 1879. p. 388 (cf. p. 53).

de re eum non recte sensisse arbitror: etenim graviorem pedis partem arsin esse ratus maiorem ei temporum numerum attribuo.

Idem scilicet valet in primo ac quarto paeone, ut primum —́ ⏑ / ⏑ ⏑, quartum ⏑́⏑ ⏑ / — statuamus. Conferenda sunt, quae Heusingerus eumque secutus Gaisfordius ediderunt [2]): „amphimacrus, qui constat ex longa brevi et longa, dividitur ita: — ⏑ /// — //; paeon primus, ex longa et tribus brevibus, dividitur ita: — ⏑ /// ⏑ ⏑ //; paeon quartus, ex quarta longa et tribus brevibus, dividitur ita ⏑ ⏑ ⏑ /// — //". Apud Marium Victorinum haec verba exstant [3]): „quod cum evenit, trisemos arsis ad disemon thesin accipitur, id est tres partes in sublatione habens, duas in positione, seu contra".

Quid vero significant illa verba „seu contra?" Accuratius de hac re disputavit Caesar [4]). Cuius sententiam secutus equidem illis verbis hoc unum significari puto: posse in pede cretico graviorem pedis partem, cui tres attribuuntur morae, aut antecedere aut sequi minorem. Attamen Caesar hoc de cretico solo censere videtur, cum dicat (p. 278): Fragen wir aber, wie die alten Metriker dazu kamen, zwei Formen des Kretikus anzunehmen, von denen die eine in e. Trochäus und eine Länge, die andere in eine Länge u. einen Jambus zerlegt wurde, so werden wir den Grund in dem Unterschied des 1. und 4. Päon zu suchen haben, von denen jener den Ton auf die erste, dieser auf die letzte Stelle zog; jenem sollte die erste, diesem die zweite Form des Creticus entsprechen". Hac in re ei non assentiar: etenim puto etiam quartum paeonem ictum habere in priore pedis parte ⏑́⏑ ⏑ / —; itaque et creticum et paeonem primum et quartum modo priore loco modo posteriore habere posse graviorem trium temporum partem iudico. —́ ⏑ / — et — / ⏑ —́; —́ ⏑ / ⏑ ⏑ et — / ⏑ ⏑́⏑; ⏑́⏑ ⏑ / — et ⏑ ⏑ / ⏑ —́. Iam igitur quae-

[1]) GL VI, 645, 14. 15: 18—24;
[2]) GL VI, 42, 30. 31.
[3]) Caesar, Grundzüge p. 273—278.



ritur, quibus quaeque divisio locis sit statuenda; qua de re haec mea est sententia: Si metri paeonici pedes componuntur cum eiusmodi pedibus, qui graviorem partem posteriore loco habent, hoc est cum iambis, anapaestis, ionicis a minore ea, de qua modo diximus, divisio est adhibenda (— / ⏑ —́, — / ⏑ ⏑́⏑, ⏑ ⏑ / ⏑ —́); si vero componuntur cum trochaeis, dactylis, ionicis a maiore, altera illa divisio est praeferenda (—́ ⏑ / —, —́ ⏑ / ⏑ ⏑, ⏑́⏑ ⏑ / —).

*Πούς* igitur *ἀσύνθετος* sive *ἁπλοῦς* secundum rhythmicorum traditionem paeon putandus est. Prorsus autem alio modo homines metrici illum pedem intellegi voluerunt. Apud ipsum Hephaestionem de rhythmo illius pedis nihil inveniri iam supra exposuimus. Sed in scholiis [1]) Hephaestioneis alteris scriptum hoc exstat: *καὶ γὰρ ὁ πυρρίχιος . . . . συντιθέμενος ἐπὶ τὸν ἴαμβον τὸν τέταρτον παίωνα* (scl. *ποιεῖ*) . . . . *ὁ δὲ τροχαῖος ἐπὶ τὸν πυρρίχιον τὸν πρῶτον παίωνα ποιεῖ.*

Metrici igitur illi homines iam eo tempore, quo vixit Dionysius Halicarnassensis [2]), adversus Aristoxeni sententiam [3]) etiam pedem disemum statuerunt, quem nominaverunt *ἡγεμόνα* sive *πυρρίχιον*, atque hanc ob causam omnes pedes tetrasyllabos diviserunt in duos pedes.

Conferantur Bacchii musici verba in libello, qui inscribitur „*εἰσαγωγὴ τέχνης μουσικῆς* [4]): *συμπεπλεγμένοι δὲ πόσοι; τέσσαρες · παίαν, βακχεῖος . . . . παίαν σύνθετος ἐκ χορείου καὶ ἡγεμόνος* [5]): agitur igitur de primo paeone.

Metrici autem latini fere omnes illo modo paeonem pedem esse compositum censuerunt [6]).

[1]) edid. Hoerschelmann, p. 26, 10—15 (ad Hephaestionis caput III *περὶ ποδῶν*).
[2]) Dion. Halic. de compositione verborum edid. Schaefer (1808) p. 218, cap. XVI).
[3]) Aristox p. 302 (Mor.);
[4]) Westphal. Fragmente p. 67 (Meib. p. 24.)
[5]) p. 25 Meib.
[6]) GL VI, 48, 5—12 (Mar. Victor.); VI, 308, 19—25 (Bassus), eumque secuti, qui eum exscripserunt: Terent. Maurus VI, 371, v. 1532 bis 1545. Atil. Fortun. VI, 280, 23 sqq; 283, 18 sqq.

Duae igitur arses duaeque theses secundum illorum traditionem in pede paeonico insunt. $\overset{a}{-}\ \overset{th}{\smile}\ \overset{a}{\smile}\ \overset{th}{\smile}$.

Hanc divisionem recepit Christius [1]); attamen nos rhythmicorum optimam traditionem secuti paeonem pedem compositum esse negamus. Jam inde perlucide apparet, creticum nihil esse nisi contractum paeonem, nec aliter recentioris aetatis viri doctissimi, Rossbachius, Westphalius, alii iudicarunt. Longe autem aliam de paeone et cretico sententiam protulit Godofredus Hermannus, qui accuratius de hac re disputavit in libro, qui inscribitur elementa doctrinae metricae [2]). Liceat mihi primarias leges ab eo constitutas afferre:

1. Pes creticus nihil est nisi dipodia trochaica catalectica, ut duas arses unamque thesin habeat. Documentis autem Hermannus sententiam illam omnino non firmavit; fortasse ad rem pertinent Heliodori verba [3]): *'Ηλιόδωρος δέ φησι κοσμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν, ὅπως ἡ ἀνάπαυσις διδοῦσα χρόνον ἐξασήμους τὰς βάσεις ποιῇ καὶ ἰσομερεῖς ὡς τὰς ἄλλας*
nec minus quod hic illic unus vel duo cretici — qui tamen meo iudicio non sunt cretici — versibus trochaicis inserti vel intermixti videbantur, ad talem errorem virum doctissimum adductum esse puto.

2. Paeonicus numerus a cretico est diversissimus, cum paeon unam tantum arsin habeat.

3. Creticus dissolvi potest in paeones et quartum et primum; versus autem paeonicus ex puris paeonibus constet necesse est. Priusquam perpauca ad has Hermanni sententias refutandas afferamus, commemorare liceat iam Boeckhium illius errores cognovisse, cum in libro, qui inscribitur: ueber die Versmasse des Pindar (p. 129) recte contenderet: „Fast alles, was die Alten von dem paeonischen Geschlechte lehren, hat Hermann aufzuheben versucht."

---

[1]) Christ, Metrik p. 388.
[2]) conferas libri secundi capita XIX, XLI, XLII.
[3]) conf. anecd. var. I, 82, 18—20.



Creticum non esse dipodiam trochaicam catalecticam, sed aeque ac paeonem unam tantum arsin unamque thesin habere iam supra satis demonstrasse mihi videor. Itaque omnibus locis, ubi unus vel duo cretici coniuncti videntur cum pedibus trochaicis, creticos non statuemus, sed dipodias trochaicas vel syncopatas vel catalecticas. Tertiam vero illam legem si rectam esse censeremus, sane perdita efficeretur perturbatio: Quid? Nonne in cretici locum, utut libet, primum aut quartum paeonem succedere concedit? Quin etiam in versibus eis, qui uno vel duobus pedibus creticis exceptis ex solis primis paeonibus constant, ipsos poetas Graecos erravisse putat, (conf. elem. p. 197) qui creticum rhythmum et paeonicum prorsus confunderent! Accedit, quod non semel paeoni primo vel quarto in antistropha creticus respondet, ut postea videbimus. Omnino igitur falso Hermannum de metro paeonico iudicasse statuendum est.

Sed redeat, unde digressa est, quaestio: non pauci exstant loci, quibus eidem generi metrico et creticum et paeonem esse ascribendos plane demonstretur. Velut:

Heph. cap. XIII: *τὸ δὲ παιωνικὸν εἴδη μὲν ἔχει τρία τό τε κρητικόν . . . .*

Arist. Quint. p. 55: *τὸ δὲ παιωνικὸν καλεῖται μὲν καὶ κρητικὸν διὰ τὸ ποτὲ μὲν τοῖς παίωσι καθαροῖς, ποτὲ δὲ τοῖς κρητικοῖς μετρεῖσθαι.*

Bassus (GL VI, 264, 20) „creticus, qui et ipse eiusdem generis et temporum totidem, quot ille, una parcior syllaba est" [1]).

Quonam igitur modo utendum erat hoc metro ex metricorum sententia in efficiendis versibus?

In Aristoxeni fragmento apud Psellum servato [2]) scriptum legimus: *αὔξεσθαι δὲ φαίνεται τὸ μὲν ἰαμβικὸν γένος μέχρι τοῦ ὀκτωκαιδεκασήμου μεγέθους . . . . τὸ δὲ δακτυλικὸν μέχρι*

---

[1]) Conf. GL VI, 542, 43 (Plotius); 290, 28. 29. (Atil. Fort.)
[2]) Westphal, Fragmente p. 37, 22.

*τοῦ ἑκκαιδεκασήμου . . . τὸ δὲ παιωνικὸν μέχρι τοῦ πεντεκαιεικοσασήμου.* Confer Arist. Quint. p. 35.

Fragm. Paris. cod. bibl. imp. Par. .3027 Fol. 31 [1]): *ἄρχεται δὲ τὸ δακτυλικὸν ἀπὸ τετρασήμου* et quae sequuntur.

Jam ex his, quae ex rhythmicis annotavi, elucet maximum paeonicum pedem, ut ita dicam, compositum ex viginti quinque temporibus posse constare, hoc est: pentametrum esse longissimum paeonum ordinem. Is autem secundum Hephaestionem (cap. XIII) *μέτρον Θεοπόμπειον* appellatus est.

Atque etiam id ex illis locis colligere possumus, quod primi Rossbachius et Westphalius [2]) ea, qua par est, auctoritate statuerunt: praeter pentametrum existimandos esse pedes rhythmicos dimetrum et trimetrum paeonicum, non tetrametrum, quippe qui tempora *γένους ἴσου* transgrederetur. Attamen in Hephaestionis capite decimo tertio maxime variae tetrametri formae enumerantur et exemplis illustrantur! Atque haec leguntur: *οὕτω γοῦν τὸ πολυθρύλλητον τετράμετρον συντιθέασι.* Alio loco [3]) idem dicit: *δύναται δὲ καὶ μέχρι τοῦ ἑξαμέτρου προκόπτειν τὸ μέτρον* [4]).

Quid? Quod metrici latini, veluti Bassus, Atilius Fortunatianus tetrametrum paeonicum solum commemorant! Neglectis igitur omnino legibus rhythmicis homines metrici pedum ordinem longius produxerunt, ita ut pedes *γένους ἴσου* compositi etiam usque ad viginti tempora prolongari possint, atque etiam hexametrum paeonicum statuere liceat [5]).

---

1) Westph. Fragmente p. 79/80.

2) R. et W., Theorie d. m. K. III, p. 734; conf. R. et W., Metrik der griech. Dramatiker und Lyriker 1. Auflg. vol. I, griech. Rhythmik p. 76.

3) cf. Westph. Heph. p. 42, 25.

4) conf. Arist. Quint. p. 55 fin.: *τὸ δὲ παιωνικὸν . . . . . αὔξεται μέχρι τοῦ τετραμέτρου.*

5) Vide ea, quae exstant in scholiis Hephaestioneis (edit. Westph. p. 199, 10—15) *ὁ γὰρ παίων πεντάχρονός ἐσιι καὶ οἱ εἰς αὐτὸ τὸ μέτρον ἐμπίπτοντες . . . . . ὥσιε εἶναι τὸ ἑξάμετρον τριάκοντα χρόνων . . . . . ἕως τούτου δὲ προβαίνει ἡ ποσότης τῶν ἐν τοῖς στίχοις χρόνων καθ' Ἡφαιστίωνα.*



Quid nos? Rectissime Rossbachius iudicasse videtur [1]): tetrametrum paeonicum omnibus locis esse dissolvendum aut in duas dipodias aut in tripodiam et monometrum. Itaque postea in dividendis strophis paeonicis operam dabimus, ut neglecto tetrametro et hexametro aliam inveniamus singulorum versuum partitionem. Seligerus, qui rhythmicorum traditionem omnino non respexit, vel octametros paeonicos statuere non dubitavit (p. 52).

Ultimo autem huius capitis loco etiam aliud commemorare mihi in animo est: Apud Aristotelem haec scripta exstant [2]): *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι καὶ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος, ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν.* Negat igitur Aristoteles exstare metrum paeonicum. Neque pauci scriptores et metrici et grammatici dubitarunt, num revera illud statui possit. Atque ipse Heliodorus sic censuisse videtur, qua de re fusius egit Hensius [3]). Conferenda autem sunt Heliodori verba apud Choeroboscum servata [4]): *Ἡλιόδωρος δέ φησι κοσμίαν εἶναι τὴν κατὰ πόδα τομὴν* et quae sequuntur.

Videas porro, quae scripserunt Marius Victorinus [5]) et Diomedes [6]).

Complures vero scriptores metrici ex numero novem metrorum prototyporum paeonicum omnino excluserunt. Velut Mallius Theodorus haec dixit [7]): „sunt igitur metrorum genera haec: dactylicum, iambicum, trochaicum, anapaesticum, choriambicum, ionicum . . . si quid ergo praeter haec, quod non ad certam pedum legem, sed ad temporum rationem

---

1) R. et W., Theor. III, 734. cf. R. et W., Metrik der Griechen 2. Aufl. vol. II, p. 130.

2) Rhetor. III, 8. (1409 A, 6—9).

3) Hense, heliod. Unters. p. 119.

4) anecd. var. I. 82, 18;

5) GL VI, 47, 30; 96, 15—19.

6) GL I, 506, 9.

7) GL VI, 588, 21 sqq.

modumque referatur, vel scribet quispiam, vel ab alio scriptum leget, id non metrum, sed rhythmum esse sciat.“ Primaria igitur causa videtur esse, quod „neglecta certa pedum collocatione sola temporum ratio considerata est.“ [1])

Attamen iam in Caesii Bassi libro[2]) scriptum legimus: „cluditur (scl. versus quadratus) cretico, qui et ipse eiusdem generis et temporum totidem, una parcior syllaba est, ne, si fluat eodem numero, rhythmus, non metrum fiat (sic legendum videtur cum Keilio).

Elucere ex his videtur, sane certam pedum collocationem a poetis esse servatam.

Quamquam saepius in fine versus paeonici ultimum habemus paeonem solutum: attamen recte de hac re iudicasse videtur Christius[3]), cuius verba hoc loco afferam: Hier indess darf man füglich annehmen, dass der erste Tetrameter kein Vers in engerem Sinne, sondern nur ein Glied einer grösseren Periode sei.“

## Appendix: De nomine et origine pedis paeonici.

Glaucus in Plutarchi libro de musica (cap. X.) rhythmo cretico sive paeonico usum esse Olympum memoriae prodidit. Quaeritur, unde ille paeonum usum receperit. Cum vero apud ipsum Homerum (Iliad. π 617, σ 591) verba fiant de saltationibus in Creta insula factis et in hymno in Apollinem conscripto (v. 514 sqq.) paeanes in honorem Apollinis cum creticis illis saltationibus coniuncti commemorentur, suspicari licet Cretam insulam Olympum ipsum adiisse ibique rhythmum creticum Apollinis diebus festis usitatum artificioso quodam modo excoluisse. Quem secutus Thaletas[4]) creticis

[1]) GL V, 586, 1. 2.

[2]) GL VI, 264, 19 sqq.

[3]) Metrik p. 396;

[4]) Strabo (X 480/81) invenisse Thaletam rhythmum paeonicum tradidit; ad quem errorem ea re adductus esse videtur, quod tum temporis



usus est et paeonibus (Plut. de mus. X). Thaletas autem illum rhythmum usurpavit, cum paeanes componeret, (Plut. de mus. 9) hoc est ea carmina, quibus aut auxilium Apollinis invocabatur aut pro beneficiis gratia debita referebatur. Ex his igitur carminibus Apollini Paeani sacris rhythmo nomen *παίων* inditum esse facile concludas[1]). Praeterea autem Thaletas saepissime paeones adhibuit in eis cantibus, qui *ὑπορχήματα* dicuntur[2]); quos ex antiquissimis illis saltationibus creticis originem ducere ex veterum annotationibus elucet[3]). Atque hac de causa rhythmum paeonicum etiam creticum appellatum esse non mirum est[4]). Sed alio quoque modo pedis illius nomen explicare voluerunt et veteres grammatici et viri docti huius aetatis. Omnino non respiciendum esse Plotium[5]), qui „nomen inditum a Paeone poeta paeones possedisse“ putat, facile perspicitur. Nam de illo poeta ne minimum quidem memoriae est proditum.

E. v. Leutsch[6]) respiciens Joannis Siceliotae verba[7]) a voce *παίω*, hoc est a saltantium motu terram pulsante nomen metri duxit. Sed hoc subtilius mihi excogitatum videtur.

Ceterum ab ipsis poetis metrum hic illic creticum appellatum est. Velut (Heph. c. XIII): *ἔγειρε δὴ νῦν Μοῦσα κρητικὸν μέλος.* Conferas verba, quae exstant apud Dionysium[8]): *Κρησίοις ἐν ῥυθμοῖς παῖδα μέλψωμεν.* Revera autem rhyth-

Thaletas et praestantissimus erat poeta et saepissime illo rhythmo utebatur; conf. GL VI, 46, 3. Saepius autem fit in litterarum historia, ut is, qui primus formam aliquam excoluerit exornaveritque, eam invenisse dicatur.

[1]) conf. anecd. var. I, 128 fin; 228, 6 sqq; 61, 9.

[2]) conf. GL VI, 46, 4. 5;

[3]) conf. Plot. GL VI, 499, 3—5; Procl. Chrestom. in Westphalii edit. Hephaest. p. 246, 9. 10; Flach, Gesch. der Lyrik I, p. 141; 268 sqq.

[4]) conf. anecd. var. I, 208, 7; 225, 25 sqq.

[5]) GL VI, 499, 21. 22.

[6]) Philolog. XI, 335.

[7]) Walz, rhet. graec. VI, 237 fin; 238, 1—3: *οἱ δὲ παίωνες ἀπὸ ἔθνους ὠνομάσθησαν· ἢ ἀπὸ τοῦ παίω ἢ παΐω ἢ παύω τὸ θεραπεύω· ἦδονγὰρ ὕμνους τούτῳ τῷ μέτρῳ ἐπ' ἀφέσει λοιμοῦ ἐς Ἀπόλλωνα.*

[8]) Dionys. Halic. (de comp. verb.) ed. Reiske vol. V, 205, 6.

mum paeonicum illis saltationibus, de quibus modo diximus, esse aptissimum vel ex eis elucet, quae de eius vi atque indole Aristides tradidit. Dicit enim: p. 98, 9: *τοῖς δ'ἐν ἡμιολίῳ λόγῳ θεωρουμένοις ἐνθουσιαστικωτέροις εἶναι συμβέβηκεν ὡς ἔφην* · et paullo post: p. 99, 15. 16: . . . . . *παίωνας δὲ θερμοτέρους τοῦ δέοντος.*

Sed plura de rhythmi illius vi ethica afferre supervacaneum est, cum iam Rossbachius fusius[1]) de hac re disputaverit atque etiam Steigerus[2]) de paeonum natura compluribus locis rectam attulerit sententiam.

[1]) R. et W. Theorie III, 735 sqq.
[2]) Steiger. I, 30. 48.

# Pars posterior.

Posteriore huius commentationis parte de omnibus eis versibus, ubi metrum paeonicum indagasse mihi videor, verba facere constitui, atque ita, ut primo capite comicorum fabulae tractentur, in quibus longe plurimi omnium, qui exstant, paeones inveniantur. Tum demum de lyricorum et tragicorum poetarum strophis quaestio erit, ut, quid inter eos intersit, clarius eluceat.

## Caput I: **Metrum paeonicum apud poetas comicos.**[1])

### § 1. Metrum paeonicum cum nullo alio coniunctum stropham efficit.

A. In Acharnensium primae parabasis stropha et antistropha (v. 665—675 = 692—701) soli paeones exstant; statuimus autem:

665: duos trimetros;
666—672: octo dimetros;
673. 74: duos trimetros;
675: trimetrum.

B. Acharn. 971—987 = 988—999.

[1]) Aristophanis fabularum singuli versus afferuntur ex Theodori Bergkii recensione altera Lips. 1886. 88; praeterea usus sum editionibus Brunckii, Bekkeri, Kockii, Blaydesii, Velseni, Meinekii; fragmenta ex recensione Kockii (fragmenta comicorum Atticorum 3 voll. Lips. 1880—88).

Hoc loco longiorem stropham maximam partem ex primis paeonibus constantem habemus: exstant autem hi versus:

971. 72: duo pentametri paeonici;

973—75 tres dimetri; 976—87 duodeviginti dimetri. Sed in fine totius cantici tetrameter trochaicus usurpatur, quo transitus quidam ad sequens diverbium efficitur. In versu 971 omnes fere editores praebent: *εἶδες ὦ εἶδες ὦ πᾶσα πόλι*; solus, ni fallor, Ribbeckius Suidam secutus semel tantum *εἶδες ὦ* scripsit: quod probabilius mihi videtur; nam vocativi notam (*ὦ*) tali modo repeti posse, ut a substantivo segregetur et duobus verbis interponatur (*εἶδες — εἶδες*), vix credam. Accedit, quod in scholiis metricis haec leguntur: *κῶλα παιωνικὰ ἐκ μονομέτρου καὶ τετραρρύθμων δίς* et quae sequuntur; duo igitur pentametri initio statuendi sunt. In antistrophae versu primo, ubi pes creticus excidit, maxime mihi arridet Dindorfii coniectura *ἐπιέρωται*, quippe quae ad metrum et sensum bene quadret.[1])

C. vespar. v. 1275—83 = 1284—1291: haec stropha antecedenti simillima videtur: habemus enim sedecim dimetros paeonicos, quos sequitur tetrameter trochaicus.

D. Tribuatur huic paragrapho etiam breve illud colloquium chori et upupae, quod exstat avium in versibus 410—412 = 413—415: tres dimetri paeonici ex solis creticis constant, quorum primo anacrusis praemittitur. Vocem *ἔρως*, quam nonnulli editores upupae attribuunt, ad verba chori traho, cum nisi hoc modo responsio antistrophica inter chori et illius verba restitui non possit; unde sequitur, ut cum Reisigio et Kockio pro *τύχη ποία* scribere malim *τύχης ποίας* (scl. *ἔρως*).

Schmidtius (II, CCLXXII) hanc stropham paeonicam esse negans tetrapodias iambicas syncopatas statuit; neque vero eius causis ut assentiar, adduci possum. Confer etiam Rossb. III, 747.

---

[1]) Bergkius proposuit *εἶδες ὦ τόνδ'; ἐπείγει*; Meinekius: *οὑτοσὶ δ' ἐπιόηται.*



## § 2. Versus paeonici cum trochaicis coniunguntur.

Longe plurimi generis paeonici versus coniunguntur cum trochaicis apud Aristophanem. Qua in re non offendimus, cum creticum rhythmum simillimum esse trochaico negari non possit. Confer autem, quae supra (p. 12; 17.) de hac re exposuimus.

A. Versus trochaici et antecedunt et sequuntur versus paeonicos:

1. Acharn. v. 204—218 = 219—236.

Strophae initio positi sunt quattuor tetrametri trochaici: sequuntur

sex dimetri paeonici
pentameter paeonicus
quattuor dimetri paeonici

Finem autem totius paeonum seriei iterum trochaici tetrametri (tres) faciunt.

In v. 231 desiderantur quattuor syllabae (⏑ ⏑ – ⏑) vel tres, cum pro duabus brevibus una longa exstare potuerit. Quam lacunam optime Blaydesius emendasse videtur coniectura *ἀνιαρός*: hoc enim vocabulum et ad metrum et ad sensum optime quadrat.

2. Acharn. vers. 280—283.

Duobus versibus trochaicis, quos sequuntur totidem dimetri paeonici acatalecti, tanquam introducitur sequens chori canticum paeonicum (284—301 = 335—346, de quo postea).[1])

3. Lysistrat. vv. 781—797 = 805—821.

Antecedit hexapodia trochaica, cui praepositus est spondeus *ἑξάσημος*. Sequuntur: Dimeter paeonicus — spondeus *πεντάσημος*, vel monometer paeonicus syncopatus, quem, ut

---

[1]) Dubitari potest de v. 282: traditum est: *παῖε παῖε*; Steigerus (I, p. 36 not. 2) hoc retinet et *κρητικὸν κατὰ τροχαῖον* esse censet. Sed cum in hoc statuendo „cautissime versandum" sit (cf. p. 13), et facillima mutatione aut creticus aut paeon restitui possit, hos praeferam; probo igitur Bergkii coniecturam *παῖε πᾶς*.

inter versus paeonicos, statuere non dubitamus — duo trimetri paeonici, quorum alteri anacrusis praemissa est — tres dimetri catalectici (primus anacrusi auctus), — duo dimetri acatalecti. Extrema vero stropha iterum versus trochaici inveniuntur et ipsi spondeo *ἐξασήμῳ* introducti; inseritur autem trimeter paeonicus.

In v. 811. 812 erant, qui verba tradita mutare vellent, ut responsionem restituerent, velut Hermannus (*Ἐρινύος* et *οὗτος ἄῤ ὁ*); sed hac mutatione opus non est; dubitari non potest, quin hoc loco *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* primo paeoni respondeat (— ◡ — ◡ = — ◡ ◡ ◡).[1])

Difficillime autem explicandi sunt versus 785 = 809: traditum est v. 785:

*ἦν νεανίσκος Μελανίων τις, ὅς,*

cuius versus forma metrica haec est:

— ◡ — — — ◡ ◡ ◡ — ◡ —

antistr: *ἦν τις ἄϊδρυτος ἀβάτοισιν ἐν*

— ◡ ◡ — / — ◡ ◡ ◡ / — ◡ —

Quae si tenemus, responsio omnino deest; quae plane restitueretur, si legeremus: *ἀΐδρυτός τις* (— ◡ — — — ◡ ◡ ◡ — ◡ ⏓) conf. Selig. p. 28. Epitritum vero paeonis loco usurpari posse vix quisquam credat. Atque etiam si trochaeos statuamus, vix probabile efficiatur metrum. Mihi melius videtur in antistropha lectionem traditam *ἦν τις ἄϊδρυτος* servare secunda syllaba in voce *ἄϊδρυτος* brevi habita (conf. Eurip. Bacch. v. 1070): — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ — ◡ ⏓

Tum vero in stropha mutandum est. Hermannus proposuit: *ἦν ποτε νέος Μελανίων τις, ὅς*; Schmidtius (II, CCC)

[1]) Post versum 813 lacuna statuenda est: deest enim dimeter paeonicus catalecticus in bisyllabum, qui respondeat necesse est versui 790. Steigerus (I p. 35, not. 1) hunc fere sensum loco inesse censuit: *πολλὰ* vel *δεινὰ καθυβρισθείς*; sed eodem iure alii alia coniecerunt; itaque in dubio rem relinquere debemus, cum satis tuto restitui hic locus vix possit. Conf. autem, quae Meinekius iudicavit (vindiciae Aristophaneae Lips. 1865): is inter vers. 812 (*οὗτος* . . . . .) et 814 (*ᾤχεθ᾽ ὑπὸ μίσους*) haec verba inseruit: *εἰς ἀγρὸν ἔρημον.*



*ἦν Μελανίων νεανίσκος, ὅς;* Steigerus (I, 35) *ἦν νεανίας Μελανίων τις, ὅς:* hoc modo *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* responderet paeoni primo; quem nunquam statuam, nisi pro certo traditus erit. Itaque Schmidtii verba antea allata praeferam, ut creticus respondeat primo paeoni. Ceterum Schmidtius (II, CCCIII) responsionem antistrophicam exstare omnino negavit: quod non probamus.

4. Lysistr. vv. 1043—1058 = 1059—1072 = 1188—1203 = 1204—1215:

Tres tetrapodias trochaicas sequuntur sex dimetri paeonici, quorum tertio anacrusis praeposita est; concluditur autem canticum item versibus trochaicis. Quintum dimetrum et sextum Schmidtius (II, CCCV) non ex paeonibus constare, sed ex trochaeis syncopatis censuit. Quod ut sentiret, ea re commotus esse videtur, quod secundum sententiarum rationem illi versus ad sequentia essent trahendi et, cum solutiones omnino deessent, dilucide discernerentur ab antecedentibus paeonibus. (Conf. Steig. I, 35 fin.). Neque vero, etiamsi complures periodi statuuntur, dubitamus in stropha ex trochaeis et paeonibus constante duos dimetros paeonicos initio periodi plane trochaicae recipere. Aliter dividere vult versus Meinekius, qui anacrusi ad versum antecedentem tracta trimetros catalecticos in syllabam efficiat; quam sententiam Seligerus (p. 25 not.) iam reiecit. Quamquam idem (p. 37 fin.) illos versus inter trimetros catalecticos commemorat, ut ipse secum pugnare videatur.[1])

5. Pacis vv. 1127—1139 = 1159—1171.

Constat haec stropha ex decem dimetris paeonicis, quos quattuor tetrapodiae trochaicae sequuntur, sed ita, ut ultimae duae sint catalecticae. Tribus autem dimetris paeonicis anacrusis est praeposita.[2])

[1]) V. 1060: pro tradito *κἄστιν ἔτνος τι* Reisigius optime restituit: *κἄστιν ἔτ᾽ ἔτνος τι,* quod et ad sensum quadrat et metrum emendat. Blaydesii vero coniectura (*κἄστιν ἔτνος μοί τι*) omnino metrum perturbatur.

[2]) v. 1135 in libris *ἐκπεπρισμένα* (R V S), *ἐκπεπιεσμένα* (B): neutrum

6. Huc quoque referendi sunt **equitum** versus 303—313 = 382—390. Habemus novem dimetros paeonicos. Clauditur stropha duobus tetrametris trochaicis. Dindorfius eumque secutus Kockius initio tres pentametros paeonicos exstare censent.[1]) Sed cum pentametri rarissime usurpentur et passim tantum aliis versibus paeonicis inserantur, illa divisio vix probabilis est.

v. 304: tradita verba: *καὶ κεκράκτα τοῦ σοῦ θράσους* metro repugnant. Bergkius omissa voce „*τοῦ*“ *κρητικὸν κατὰ τροχαῖον* respondere vult paeoni primo; in quo statuendo iam supra dixi semper valde cavendum esse. Hermannus, Dindorfius, alii emendarunt: *καὶ κατακεκράκτα:* tum vero omnino aliter stropha est dividenda; quam divisionem mihi displicere iam antea exposui. Maxime mihi arridet Meinekii correctura: *βδελυρὲ κρᾶκτα τοῦ σοῦ θράσους:* qua recepta respondet strophae cretico in antistropha paeon primus.[2])

B. Inter versus paeonicos trochaici passim inseruntur.

1. **Acharn.** vv. 284—301 = 335—346.

Haec stropha in duas partes dissolvi potest (284—293 et 296—304): utriusque mediam partem tenent sex dimetri paeonici (288—292; 297—302), qui utrimque cinguntur tetrametris trochaicis.[3]) Separantur autem pentametro paeonico.[4])

---

quadrat ad metrum; Bothii coniectura optima *ἐκπεπορεμνισμένα* metrum restituitur.

v. 1159: Hermanni coniectura: *ἡνίκ᾽ ἂν δ᾽* recipienda est.

[1]) in antistropha duo cretici illorum iudicio desunt.

[2]) v. 386: lacunam alii aliter explere studuerunt. Weckleinius: *φαῦλον ὅσαγ᾽ ὧδ᾽ ἰδεῖν,* duos creticos excidisse ratus. Bergkius *οὐδ᾽ ἐλαφρόν* supplet. Velsen. *ἀλλὰ καλόν.* Melius tamen meo iudicio unus creticus suppletur, quoniam de industria in strophae versu respondente cretici continuantur. Quamquam certi quidquam ne ipse quidem proferre possum.

[3]) prioris partis initio tetrametris interposita est pentapodia anapaestica.

[4]) v. 301: vulgo legebatur *ἐγὼ κατατεμῶ τοῖσι* (vel *τοῖς*) *ἱππεῦσίν ποτ᾽ ἐς* (R), *ἱππεῦσί ποτ᾽ ἐς* (A C), *ἱππεῦσί ποτε* (B). Verba *ποτε* et *ἐς* plane



Antistrophae versus 338. 339 corrupti sunt. Primum recte Elmsleius mutasse videtur, ut metrum sanaret, pro *νῦν*: *νυνί*; in sequentibus vulgarem recipiam lectionem: *εἴ σοι δοκεῖ.*[1]) Plus autem difficultatis habet v. 339: traditum est: *τόν τε Λακεδαιμόνιον αὐτὸν ὅτι τῷ τρόπῳ σοὐστὶ φίλον* (R *φίλος*). Accusativum *τὸν Λακεδαιμόνιον* positum esse pro *περὶ τοῦ Λακεδαιμονίου* iam alii monuerunt.[2]) Valde autem vitiosa sequentia videntur: Bergkius proposuit: *τὸ Λακεδαιμόνιον αὖθ᾽ ὅτῳ τῷ τρόπῳ σοὐστὶ φίλον*; Ribbeckius suspicatur: *εἴ τοι δοκεῖ σοί γ᾽ ὁ Λακεδαιμόνιος αὐτὸς ὅτι τῷ τρόπῳ σοὐστὶ φίλος.* Mihi quidem illis coniecturis locus nondum emendatus esse videtur; sed ne ego quidem certi quidquam afferre possum. Fortasse scribi potest: *τόνγε Λακε-δαιμόνιον αὐτὸν ὅτεῳ τρόπῳ σοὔστι φίλον.*

2. **equitum** vv. 617—623 = 683—690.

Sunt, qui tali modo hanc stropham dividant: dimeter trochaicus et versus ithyfallicus — tres dimetri paeonici — dimeter trochaicus — dimeter paeonicus — quattuor dimetri trochaici: sed cum in fine strophae systema trochaicum quattuor versuum habeamus, veri simillimum mihi videtur etiam antea paeonum purorum, ut ita dicam, systema statuere nullo alius generis versu interposito: iudico igitur versum 619 esse dimetrum paeonicum adhibito cretico *κατὰ τροχαῖον.* In antistropha autem creticus legitimus facillime restituitur omissa littera *ι* vocis *δόλοισι.* Quo facto hanc stropham melius trahemus ad huius paragraphi partem primam (A).[3])

3. **Pacis** vv. 346—360 = 582—600.

Tres dimetri paeonici cinguntur duobus tetrametris trochai-

---

supervacanea sunt. conf. schol. ad hunc versum in Bekkeri edit. Aristoph. vol. II, p. 11. Metrum restituimus legentes *τοῖσιν* omissis vocibus *ἐς, ποτε, ἐγώ.*

[1]) cod. R *εἴ τοι σοι δοκεῖ;* Bergk. *εἴ τοι δοκεῖ σοι.*

[2]) exempla affert Blaydesius ad v. 338.

[3]) In codicibus fere omnibus v. 687 *αἱμυλίοις* exstat; quod cum metro repugnet, iam Brunckius recte mutavit in *αἱμύλοις,* quod ipsum vocabulum usitatius est.

cis; sequuntur sex dimetri paeonici acatalecti,[1]) item duobus tetrametris trochaicis circumdati; exeunte stropha tres dimetri et trimeter paeonicus exstant.

Versum 346 perperam traditum esse ex metro elucet: *εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' (Vγένοιτ') ἰδεῖν ταύτην μὲ τὴν ἡμέραν ποτέ.* Quae Dindorfius et Blaydesius coniecerunt, et ipsa ob metrum reicienda sunt; coniectura Bergkii, qui in fine versus dimetrum paeonicum efficere studet, totius strophae symmetriam laedere videtur. Mihi optimum videtur, quod iam Porsonus scripsit et plerique in textum receperunt[2]): *εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' ἰδεῖν τὴν ἡμέραν ταύτην ποτέ.* Neque vero antistrophae verba (v. 582): *χαῖρε χαῖρ' ὦ φίλταθ' ὡς ἀσμένοισιν ἡμῖν ἦλθες* metri habita ratione ferri possunt. Vario modo verba transposita sunt. De Bergkii emendatione vide quae ad stropham annotavi; de ceteris vix habeo quod addam: pro sua quaeque parte aliquid habet veri similitudinis. Fortasse scribi potest: *χαῖρε χαῖρ' ὡς ἦλθες ἡμῖν ἀσμένοισιν φιλτάτη*, ut strophae et antistrophae metrum hoc sit:

stroph.: — ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — — | — ⏑ | — — | — ⏑ | ⏓
antistr: — ⏑ | — — | — ⏑ | — — | — ⏑ | — — | — ⏑ | ⏓

Plurimas autem difficultates praebent versus 351 = 590: Strophae verba, quatenus bene tradita sunt, hanc formam metricam exhibent: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — ⏑ — ⏑ — Initio igitur dimetri tertii *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* exstat. Valde autem corrupta sunt antistrophae verba: *πᾶσιν, ὁπόσοι γεωργικὸν βίον ἐτρίβομεν. μονὴ γὰρ ἡμᾶς ὠφέλεις*, quae omnino strophae metro repugnant. Priusquam, quae ipse de hoc loco iudicem, afferam, de nonnullorum sententiis disserere liceat. Schmidtius (II, CCLIV) putat duos dimetros paeonicos exstare et tetrapodiam trochaicam anacrusi auctam (pro *γεωργικὸν* Bergkii facillimam mutationem *γεωργόν*

---

[1]) Non assentior Bergkio, qui voce *ἀπαλλαγέντα* cum sequente versu coniuncta dimetrum anacrusi auctum exstare censet; immo primam illius vocis syllabam ad dimetrum antecedentem traho.

[2]) sic Rossb. III, 746; Steig. I, p. 37; Blaydesius.



recepit) et ante versum 588 excidisse tetrametrum trochaicum; eum secuti sunt Seligerus (p. 41) et Bergkius; Steigerus (I, 37) in dubio rem reliquit. Aliter Dindorfius hos versus tractavit: posuit enim et ante et post verba *μονὴ γὰρ ἡμᾶς ὠφέλεις* lacunae signum, ita tamen, ut haec verba antecederent verbis: *πᾶσιν ὁπόσοι* et quae sequuntur. Quod propter ipsum metrum rectum esse arbitror; atque etiam, quod ad sensum pertinet, multo melius illa verba anteponi mihi videntur, quippe quibus allocutio continuetur. Quamquam Steigerus (I, 37 not.) sententia eam verborum mutationem requiri negat.[1])

4. Pacis vv. 385—399:

Tres dimetri paeonici cinguntur duobus tetrametris trochaicis catalecticis syncopatis; sequitur Trygaei tetrameter trochaicus catalecticus, iterum tres dimetri paeonici cincti duobus tetrametris trochaicis catalecticis; finem faciunt tres dimetri et trimeter paeonicus.

Haec stropha adeo congruit cum ea, quam modo tractavimus, ut antistropham eam esse illius nonnulli viri docti putaverint, velut Rossbachius (III, 746). Attamen nimiae mutationes postulari videntur, quam ut illis assentiar; immo separatim hanc stropham tractabo Schmidtium (II, CCLVI) secutus et Steigerum, qui (I, 38) responsioni obstare recte monuisse videtur, quod versus 389 Trygaeo esset impertiendus. v. 385: *μηδαμῶς, μηδαμῶς*, quod in uno codice (V) exstat, propterea scribere malo, quia in versu 388 optime traditum est: *τῷδε τῷ πράγματι*, ut symmetria quaedam in his duobus versibus efficiatur. Dindorfius et alii mutarunt: *τουτῳὶ τῷ πράγματι*; at multo facilius illud *μὴ* perperam bis scriptum

---

[1]) Quomodo lacunae sint explendae, difficillimum est dicere, ut in dubio relinquere rem debeamus: concedam tamen optime supplevisse Dindorfium: *πάντα παρέχουσ' ἀγαθά*: quae verba ad sensum optime quadrant. Jam igitur strophae et antistrophae schemata haec sunt.

stroph: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓
antistr: — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓

esse nemo est quin intellegat. Puto autem hac versuum et primi et ultimi clausula tanquam maiorem vim gravitatemque precibus dari. Steigerus (I, 38) hunc versum et versum 388 ex trochaeis et paeonibus compositum esse censet; attamen cum sequentes tres dimetri paeonici et ipsi circumdentur duobus tetrametris trochaicis catalecticis (v. 390—395), hoc quoque loco, ut symmetriam servem, trochaeos syncopatos statuere non dubito.

Maxime autem responsioni antistrophicae obstare videtur versus 390: trad. *μὴ γένῃ παλίγκοτος ἀντιβολοῦσιν ἡμῖν ὥστε τήνδε μὴ λαβεῖν.*

— ◡ — ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ — — — ◡ — ◡ — ◡ —

Rossbachius (III, 738) in eis versibus hunc enumerat, in quibus *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* exstet (*μὴ γένῃ πα-* = *ἀλλ' ἁπαλὸν*). Sed ut hoc concedamus, quomodo cetera inter se congruunt? An cyclii duo dactyli respondere possunt uni paeoni? Recte Seligerus (p. 9) hanc sententiam reiecit. Dindorfius eumque secutus Blaydesius, qui et ipsi responsionem restitutam volunt, verba *μὴ — ἡμῖν* suppleta esse censent a scriba quodam pro quattuor creticis perditis. Bergkius et Steigerus (I, 38) tradita servantes tres tetrapodias trochaicas statuunt. Equidem illa verba: *μὴ γένῃ παλίγκοτος ἀντιβολοῦσιν ἡμῖν ὥστε τήνδε μὴ λαβεῖν* in unum contraham tetrametrum trochaicum catalecticum et verba *ἀντιβολοῦσιν ἡμῖν* glossema esse ratus scribam: *μὴ γένῃ παλίγκοτος (νῦν?) ὥστε τήνδε μὴ λαβεῖν* (— ◡ — ◡ — ◡ — — — ◡ — ◡ — ◡ —).

5. vespar. vv. 463—470.

Duo dimetri trochaici — trimeter paeonicus — duo tetrametri trochaici — tres dimetri paeonici. v. 465 plerumque legitur: *ὡς λάθρα γε* . . ., ut *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* primum pedem efficiat (conf. Steig. I, 42 fin.); traditum est *λάθρα*, ut neutrum adiectivi inusitati adverbialiter usurpatum exstet; quod nescio an sit praeferendum. Schmidtius (II, CCXLI) plane alio modo illos versus divisit, ut trochaeos constitueret; cui assentiri nequeo. Ceterum de hac stropha postea nonnulla erunt afferenda.



C. In stropham, quae maximam partem ex versibus trochaicis constat, nonnulli paeonici passim inseruntur.

1. Lysistrat. vv. 614—625 = 636—647.

Tres huius strophae partes disiunxerim: prima pars usque ad versum 619 trochaica est; sequitur altera ex quattuor dimetris paeonicis composita usque ad versum 621; tertio autem loco iterum trochaei exstant. Sunt, qui etiam in versibus 616. 617. 625. metrum paeonicum inesse censeant, velut Seligerus (p. 25).

Steigerus (I, 36) versum 616 compositum esse ex dimetro paeonico et tetrapodia trochaica censuit. (Conf. etiam I, 47 init.). Sed etiamsi trochaicum rhythmum cretico simillimum esse et trochaeos paeonesque hic illic artissime cohaerere constat (velut Lysistr. vv. 1014--1042, de quibus postea videbimus), tamen tali modo duos dimetros paeonicos vel potius creticos interponi posse versibus trochaicis vix crediderim. Equidem trochaeos syncopatos exstare censeo.

2. Lysistr. vv. 658—681 = 682—705.

Stropha tota fere trochaica est: tres tantum dimetri paeonici ex paeonibus primis constantes inseruntur. Commemorandum est et in trochaeis magnam thesium irrationalium, quae dicuntur, copiam exstare et paeonum ultimum quoque pedem paeone primo, non, ut semper fere alias, cretico effici.

3. In cantici vesparum vv. 333—345 = 365—378 quaestio est, num versus 339 = 370 paeonibus adnumerandi sint. Traditur in stropha: *τίνα πρόφασιν ἔχων*, in antistropha *ἀλλ' ἐπάγε τὴν γναθόν*. Haec si reciperentur, strophae dochmius responderet antistrophae dimetro paeonico. Rossbachius hunc versum nusquam commemoravit; attamen cum (III, 739) duo huius responsionis exempla (av. 333 = 349; vesp. 418 = 475) afferat, hoc quoque loco integrum esse versum censuisse videtur. Sed ego negaverim dochmium *ὀκτάσημον* respondere posse, quamquam ad hemiolium genus proxime accedit,

paeonibus duobus, qui decem tempora continent. Huc accedit, quod nusquam in libris rhythmicis et metricis de tali usu disseritur. Itaque emendandum est. Schmidtius (II, CCXXXIX) addita particula *καὶ* (secundum Bergkium; Meinekius *ἢ*) sic metitur: — / ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ / —, ut tetrapodia trochaica syncopata catalectica efficiatur. Quod ego non probo. Dindorfius spuria esse illa verba ratus, quippe quae antecedentia *τοῦδ' ἔφεξιν* interpretarentur, lacunam indicavit. Attamen nonne poetae talem tautologiam, quae nominatur, concedemus? Seligerus (p. 17) proponit *ἢ δὲ τίν' ἔχων πρόφασιν* respiciens vesparum versum 468; sed particula *δὲ* hoc loco omnino sensu caret. Steigerus (I, 40) rem in dubio relinquit. Ego optime *καὶ* suppleri puto, ut paeon quartus respondeat cretico antistrophae: — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ — = — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —

4. vespar. vv. 403—413.

Usque ad versum 410 dimetros et tetrametros trochaicos alternantes videmus. Versus 411 et 412 dimetros paeonicos, quorum pes primus cretico *κατὰ τροχαῖον* efficitur, esse puto. Sequuntur tres trimetri paeonici syncopati (primo pede statuimus spondeos *πεντασήμους*). Hoc modo si versus metimur, lectio tradita servatur, nisi quod pro *ὅτι* cum Bergkio scribimus *ὅστις*. Commemoretur autem nonnullos viros doctos responsionem statuisse inter versus 410—414 = 468—470; velut Rossbachius (III, 738); alii aliter responsionem efficere voluerunt. Meinekius versus 413. 414 nonnullis mutationibus factis respondere versibus 468, 69, in ceteris deesse responsionem censet. Compluria mutavit Hermannus (conf. Selig. p. 24). Quae omnia quamquam haud male coniciuntur et veri similitudinis aliquam habent speciem, tamen nimia discrepantia illorum versuum nimiisque mutationibus opus esse mihi videtur, quam ut antistrophicam responsionem exstare mihi persuadere possim. Eodem modo, atque ego, Steigerus (I, 36) hunc locum tractavit. Neque tamen assentiar Schmidtio (II, CCXL), qui et hoc loco et in versibus 468—470 paeonicum numerum exstare omnino negans trochaeos efficere studet.



5. vespar. vv. 415—487.

Xanthias et Bdelycleon trochaicis tetrametris utuntur; et ipse chorus maximam partem eis utitur; ubi vero maior quaedam concitatio exprimenda est, nonnulli versus paeonici usurpantur. Atque dimetri paeonici insunt in versibus 418. 419. 428. 429. 475. 476; 486. 487. De versibus 463—470 vide, quae supra allata sunt (p. 32).

Versum 418 Rossbachius (III, 739) respondere censet versui 475, ut dimeter paeonicus dochmio respondeat; sed iam supra ad vesparum versum 339 (p. 33) hoc fieri posse negavi. Bergkius dimetrum dochmiacum statuit codicis cuiusdam lectionem *πόλι* recipiens. Alii pro *θεοσεχθρία* haud male scripserunt *θεοισεχθρία*, velut Bentleius. Meo iudicio vix mutatione opus est: hoc quoque loco responsionem esse nego et traditam lectionem *πόλις* servo: coniunctionem autem dimetri paeonici et monometri dochmiaci aliis quoque locis nobis occurrere Steigerus recte monuit (I, 39, not. 3); conf. vesp. v. 733. 747. Seligerus et ipse responsionem statuit (p. 41).

6. vespar. vv. 1060—1070 = 1091—1100.

Bergkius et alii in hac stropha nonnullos paeones sive creticos statuerunt:

v. 1060 B. scripsit *μὲν χοροῖς* pro *μὲν ἐν χοροῖς*; v. 1061 dimetrum paeonicum esse censet; v. 1091 traditum *μὴ* mutavit in *μέ*, quod meo iudicio omnino sensui repugnat. Rossbachius (III, 738) versum 1062 inter eos commemorat, ubi cretici *κατὰ τροχαῖον* usurpantur. Ego nihil fere mutandum arbitratus Dindorfii lectionem accipio: 1060: *μὲν ἐν χοροῖς* — 1091 *μὴ δεδοικέναι;* 1062 *δὴ μόνον τουτ' ἄνδρες* — 1093 *ἐκεῖσε.* Num versus 1061 = 1092 paeonicis sint attribuendi, dubitari potest. Malim tamen stropham plane trochaicam statuere. Conf. Steig. I, 47 not. 1.

7. equit. vv. 322—334 = 397—408.

Initio strophae maximam partem trochaicae quattuor dimetri paeonici usurpantur nulla adhibita solutione[1]).

[1]) v. 323 editores recte traditum *τῶν* deleverunt.

D. In eodem versu paeones et trochaei miscentur.

Huius coniunctionis unum exemplum afferre possum. Lysistratae enim in versibus 1014—1035 dimeter trochaicus acatalectus coniungitur cum dimetro paeonico ex primo paeone et cretico constante et vicies bis talis versus *κατὰ στίχον* repetitur. Revera nonnulli offenderunt in artissima illa coniunctione (conf. Selig. p. 25 fin.). Schmidtius (II, 302) ut solos trochaeos efficiat, sic metitur:

— ⏑ — ⏓ — ⏑ — ⏓ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓

attamen rectissime Steigerus (I, 33) monuisse videtur, „tali mensura omnem versuum venustatem misere perire."

## § 3. Paeonici versus coniunguntur cum anapaesticis.

A. avium vv. 327—335 = 343—351.

Antecedunt versus anapaestici et soluti et spondiaci quinque dimetris paeonicis. Stropha valde corrupta est. Hermannus (elementa doctr. metr. p. 511) versus 333 et 334 dochmiacos esse ratus antistropham emendare studuit. Attamen huius traditio ita certa est, ut in strophae verbis menda inesse censeam. Rossbachius (III, 739) dochmiacum dimetrum respondere putat duobus dimetris paeonicis,[1]) de qua responsione iam supra dixi.

Vario modo editores locum temptarunt, ut pristinam formam restituerent. Sed videamus emendationes;

Reisig.: *ἐς δὲ δόλον ἐκάλεσεν, παρέβαλεν τ' ἐμὲ παῤ ἄθε—|ον γένος ἀνόσιον, ὅπερ ἔξοτ' ἐγένετ' ἐπ' ἐμοὶ πολέμιον ἐτράφη.*

Dindorfius: . . . . . *ἐμ' ἀνόμως* . . . . . *πολέμιον παρετράφη.* Maxime mihi arridet coniectura *ἐμ' ἄθεον παρὰ γένος* . . . . Illa vox (*ἄθεος*) facile excidere potuit, quod librarius glossam eam esse putabat vocis *ἀνόσιον*. Comparemus autem strophae et antistrophae metra:

[1]) Errore quodam pro monometro dochmiaco dimeter dochmicacus cum dimetro paeonico illo loco compositus est.



str.: — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ —
⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ —
antistr.: — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑
— ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ —

Duobus pedibus exceptis responsio omnino deest. Etiamsi responsionem non semper accurate servari iam nonnullis exemplis cognovimus, tamen tali licentia in omittenda illa Aristophanem usum esse vix crediderim. Seligerus Seidlerum secutus omissa praepositione *παρὰ* scripsit: *εἰσεκάλεσεν:* quae si leguntur, strophae et antistrophae versus melius inter se congruunt. Sed dubitamus in versu 334 duos pentabracheis statuere, quippe qui rarissime a poetis usurpentur. Meo iudicio integra forma vix unquam restitui poterit, ut in dubio rem relinquere cogamur.

Etiam in versu 335 correctione opus est: traditur: *πολέμιον ἐτράφη:* ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ —; Schmidtius (II, CCLXXI) proposuit *ἐχθόδοπον*, quod recipiam[1]). Dubitari potest, num pro *ἐτράφη*, quod saepius in comoedia ⏑ ⏑ — metiendum est, *ἐπετράφη* vel *παρετράφη* sit scribendum.

B. avium vv. 1058—1070 = 1088—1100.

Et antecedunt versus anapaestici (plane spondiaci) et intermiscentur paeonicis. Habemus: v. 1065. 1066 quattuor dimetros; 1069 trimetrum; 1070 duos dimetros paeonicos[2]).

[1]) facile potuit excidere: illi enim voci rarius usurpatae glossema additum erat *πολέμιον*, et hoc a librario quodam omisso illo in textum receptum est.

[2]) In v. 1065 pro tradito *αὐξανόμενα* (in R tamen *αὐξανόμενα* with *ον* written above) praeferam *αὐξανόμενον*, ut *πάντα* sit accusativus singularis generis masculini; tum vero etiam traditum *γένυσι* retineri poterit. In eodem versu sunt qui pro *πολυφάγοις* scribant *παμφάγοις*, id agentes, ne primus et quartus paeon inter se coniungantur. Neque vero video, cur in tali coniunctione offendant; retinemus igitur vocem traditam. Confer etiam Steiger. I, 32, not. 6.

v. 1066. traditum *ἑφεζόμενα* recte viri docti reiecerunt. Brunckii *ἐφεζομένα* metro repugnat; Dobreus eumque secuti plerique editores scripsere *ἐφημένα*: hoc esset trahendum ad vocem *γένναν*. Hermannus

C. Lysistrat. vv. 476—83 = 541—548.

Quattuor dimetros paeonicos, quorum primo anacrusis praeposita est, sequitur systema anapaesticum.

In v. 478 verba tradita *ἀνεκτὰ τάδ'* (RVB) ad metrum paeonicum non quadrant. Dobreus: *ἀνεκτέα τάδ'*; Bergkius *ἀνεκτὰ ταῦτ'*; Hermannus ex codice quodam recepit *ἀνεκτὰ τάδεγ'*, quod ego probaverim.

Antistrophae versus 541. 542 tam sunt corrupti, ut vix credam unquam Aristophanea verba restitui posse. Videamus autem quae sensui ac metro sint aptissima.

libri: *ἐγὼ γὰρ οὔποτε κάμοιμ' ἄν*
Herm.: *ἐγὼ γὰρ ἔτ' ἂν οὔποτε κάμοιμ' ἄν*
Reisig.: *ἐγὼ γὰρ οὐκ ἄν ποτε κάμοιμ' ἂν*

In Reisigii coniectura offendo in repetita particula *ἂν*, cuius repetitionis causam non video. At fortasse alterum illud *ἂν* trahendum est ad verbum *ὀρχουμένη*.

In v. 542 libri: *οὐδὲ τὰ γόνατα κόπος ἕλοι μου καματηρός;* haec metro repugnant. Blaydesius metrum ille quidem restituit, sed nimis audacter verba tradita mutasse videtur. Magis placet Hermanni coniectura: *οὐδὲ γόναι' ἂν κόπος ἕλοι με καματήριος*, nisi quod pro *καματήριος*, quod nusquam invenitur, praefero *καματηφόρος*; vide schol. ad vers. 542.

D. Pacis vv. 459—472 = 486—499.

Nonnulli cretici interponuntur versibus anapaesticis; velut v. 460 = 487.

463 = 490 dimeter paeonicus catalecticus anacrusi auctus; quos versus Dindorfius ex palimbaccheis constare censuit; vide autem, quae Rossbachius de palimbaccheis docuit (III, 756). 467 = 495. Sed cum perperam illi versus traditi sint, dubitari potest, num aliter sint metiendi.

---

proposuit *ἐφήμενον*, quod nescio an praeferendum sit, cum optime respondeat voci *αὐξανόμενον*.

In v. 1069 omnes fere editores recte pro verbis male traditis *δάκεθ' ὅσαπερ* Dissenii emendationem receperunt: *δάκετα, πάνθ' ὅσαπερ*.



E. Referendum ad hanc paragraphum etiam Tagenistarum fragmentum 506 videtur. Antecedit versus anapaesticus, cuius pedes I III V soluti, II, IV, VI spondiaci sunt; sequuntur octo dimetri paeonici et monometer paeonicus. Verisimile est etiam in sequentibus metrum paeonicum exstitisse, quoniam monometer paeonicus rarissime a comicis poetis usurpatur.

## § 4. Versus paeonici coniunguntur cum iambicis.

Multo minor earum stropharum numerus est, in quibus paeones componuntur cum iambis: compluribus enim locis, ubi talis coniunctio exstare videtur, tam pauci inseruntur paeonici versus aut tali modo illi pedes inter se cohaerent, ut dubitari possit, num revera paeones statuendi sint. Priusquam tamen, quae ipse de his locis iudicem, in medium proferam, moneam Steigerum (I, 45) de hac re in universum falso iudicasse: De avium versibus 327—335 = 343—351 vide, quae in paragrapho tertia exposuimus; etenim ex anapaestis constare vv. 329 sqq., non ex iambis, ut Steigerus vult, censemus.

Equitum versum 331 = 405. cum reliqui huius strophae versus maximam partem trochaici sint, et ipsum trochaicum esse anacrusi auctum putamus: tractavimus hanc stropham § 2 C, 7; de pacis versibus 353 = 591 vide § 2 B, 3.

Eos autem locos, ubi mea sententia revera coniunctio paeonum et iamborum exstat, omnino ille non commemoravit; velut nub. v. 1201—1212; eccles. 951—68.

1. Sunt, qui nubium in versu 707 statuerint duos creticos; velut Kockius, qui sequentem versum ex bacchiis constare putat; nihil de hoc versu afferunt Rossbachius, Seligerus, alii; meo iudicio cretici non sunt statuendi: immo cum valde dolentis verba sint, equidem puto syncopas ad ipsum sensum aptissimas esse. V. 707 igitur tetrapodia trochaica syncopata est;

v. 708: tetrapodia iambica syncopata.

2. Nub. vv. 1201—1212.

Etiam de his versibus alii aliter iudicarunt; etenim aut paeones exstare omnino negant, aut in dubio rem relinquunt.

Rossbachius concedit hoc loco paeones statui posse. Seligerus versus 1211 mentionem facit, in quo trochaicum numerum coniunctum esse putat cum paeonico, de quo versu postea disseremus. Schmidtius trochaicam esse stropham censet, Kockius iambicam. Ego non habeo, cur hoc loco paeones non statuam, cum praesertim in v. 1206 paeonem primum habeamus: etenim valde dubito eam, quam Schmidtius proposuit, mensuram recipere (⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏓). Quamquam facillima mutatione opus est: initio enim pro tradito *μάκαρ ὦ* scribendum est aut *μακάρι' ὦ*, aut *μακάριαι' ὦ*: hoc mihi magis placet, cum hoc modo etiam primo versui anacrusis praeponatur. Exstant igitur 1206—1209 quattuor dimetri paeonici anacrusi aucti; 1210 monometer cum anacrusi, quo tanquam transitus efficitur ad sequentes iambos, nisi forte hoc quoque loco dimetrum scriptum fuisse putamus. Vide, quae supra de monometro iudicavimus. Sed de versu 1211 dissentio a Christio, qui (Metrik p. 407) hunc versum compositum esse putat ex trochaica dipodia et creticis; immo versum iambicum syncopatum esse censeo.

3. eccles. v. 952—968.

Etiam hoc loco sunt qui paeones non statuant. Velut Steigerus et Schmidtius hos versus non commemorant. Sed ego metrum paeonicum exstare puto: v. 952 = 960 duo dimetri paeonici; 953 = 962 trimeter paeonicus anacrusi auctus, de quo versu postea videbimus; 958 = 966 dimeter paeonicus.

Recte hoc loco Reisigius[1]) et Seligerus responsionem antistrophicam statuerunt respicientes sensum totumque contextum; quamquam negari non potest compluribus opus esse mutationibus[2]).

---

[1]) Reisigius, coniectaneorum in Aristophanem libri duo Lips. 1816; conf. I, p. 322.

[2]) In ceteros versus vix habemus quod inquiramus; sola quaestio est de versu 953, cui in antistropha respondet trimeter paeonicus anacrusi auctus; cum huius verba bene tradita sint, strophae contextus emendandus est. Hermannus proposuit: *τὴν εὐφρόνην φίλος, ὅπως τήνδ' ἔσει*; Blayd: *τὴν εὐφρόνην ἐμὸς ὅπως τήνδ' ἔσει.* Quamquam non contenderim illas conjecturas, quibus responsio restituitur, valde mihi placere, tamen ipse ad hoc tempus meliorem affere non possum. Reisigius (I, 323) lectionem traditam servans „facetam quandam ironiam in hac discrepantia antistrophica inesse“ censet, cui tamen non assentiar. v. 952 responsionis causa paeones transponam.



4. Ranar. vv. 209—250: Nonnulli viri docti in hac quoque stropha iamborum et paeonum coniunctionem statuerunt; velut Kockius v. 209. 210 paeonicum monometrum et diiambum; 211. 212. dimetrum paeonicum anacrusi auctum = 215. 240. 241. Rossbachius (III, 740) in dubio rem relinquit, sed veri similius esse putat non exstare paeones; Schmidtius esse metrum paeonicum et ipse negat (II, CCCXXXV); et mihi quoque res valde dubia videtur: primum enim tam artae iamborum et paeonum coniunctionis, qualis in vv. 209. 210 statuitur, nullum usquam inveniri potest exemplum. Accedit, quod ranae extremae Aristophanis aetati sunt adnumerandae, in quibus de industria paeones evitari videntur. Itaque nescio an illi versus potius plane iambici vel trochaici iudicandi sint.

5. Ultimo huius paragraphi loco commemoretur Cratini fragmentum (K. frgm. 222), quod ex Trophonio excerptum Hephaestio tradidit (cap. XIII): invocatur Musa, ut creticum carmen excitet; atque hanc iambicam introductionem sequuntur quattuor dimetri paeonici maximam partem ex creticis constantes.

Nonnullis aliis locis iambi in eadem stropha usurpantur, in qua paeones exstant; sed cum in eis alia quoque metra insint, in sequente demum paragrapho illi versus tractabuntur.

## § 5. Metrum paeonicum coniungitur cum dactylico, dochmiaco, logaoedico metro.

1. Avium vv. 227—262.

Artiorem paeonum et dactylorum coniunctionem habemus in upupae monodia, ubi praeterea trochaei, iambi, spondei summa suavissimaque varietate usurpantur. Statuimus autem v. 243 duos dimetros; 244—49 sex dimetros paeonicos. In

v. 246, cuius pes primus paeone quarto efficitur, Bergkius et alii dimetrum catalecticum in bisyllabum, et in v. 248 anacrusin statuerunt. Sed nescio an melius syllaba prima vocis *ὄρνις* trahatur ad antecedentem versum, ut et catalexis et anacrusis tollatur[1]). Praeterea in nonnullis versibus, ubi avium vocibus upupae cantus interrumpitur, paeones exstare viri docti statuerunt. Velut Rossbachius vv. 242. 260. 261. 262 ex dimetris paeonicis constare censet. Attamen in eiusmodi versibus omnia incertiora esse existimo, quam ut rectam lectionem statuere possimus: sunt, qui additis nonnullis syllabis efficere velint dochmios; sunt, qui ademptis totidem iambos statuant summa usi licentia. Itaque ipse de illis versibus certum iudicium proferre vix ausim.

In v. 248 traditum est (RV) *ὄρνις πτεροποίκιλος:* quod metro repugnat; Blaydesius: *ποικιλόπτερος;* alii interposita particula *τε* locum sanare volunt, velut Dindorfius: *ὄρνις τε πτεροποίκιλος;* quem Rossbachius secutus esse videtur (III, 752); sed vix crediderim in media paeonica parte trimetrum dactylicum esse usurpatum. Neque vero magis assentior Steigero, qui (I, 45) systemati paeonico tetrapodiam logaoedicam huius formae (— — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑) interpositam esse censuit. Meinekius et alii scripserunt; *ὄρνις πτέρων ποίκιλος τ'*. ut illud *πτέρων* avis nescio cuius nomen sit. Quod vix probaverim; etenim mirum videtur unam tantum avem eamque plane ignotam nominatim afferri. Ego praeferam casum aliquem vocis *πτερόν*, velut accusativum „bunt in bezug auf das Gefieder.“ Fortasse igitur scribendum est: *ὄρνις πτερὸν ποίκιλος*.

2. Cum logaoedicis versibus paeones coniunguntur in ranarum vv. 1356—1365.

Rossbachius (III, 754), num revera metrum paeonicum statuendum sit, dubitat, praesertim cum verba male tradita sint; meo autem iudicio facillimis mutationibus illud metrum restitui posse videtur: v. 1356 trimeter paeonicus syncopatus

[1]) De voce in duas partes divisa vide equit. v. 322=397.



v. 1357. trimeter paeonicus anacrusi auctus[1]); v. 1358. de hoc versu plura addenda sunt: liceat afferre, quomodo viri docti illum versum diviserint: Schmidtius (II, CCCLVIII) ⏑ / — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ // — ⏑ — / — — ⏑ / —: statuit igitur dimetrum paeonicum et trimetrum catalecticum in syllabam; secundo autem trimetri loco pro paeone antibacchium exstare putat. Antibacchium autem (de quo Hepaestio [cap. XIII]: *ἀνεπιτήδειος πρὸς μελοποιίαν*) paeonis loco usurpari posse omnino nego. Eadem de causa, ni fallor, Seligerus (p. 50) aliter versum illum interpretatur: ⏑ — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ // — ⏑ / — — / — ⏑ / ⏓; putat igitur dimetrum paeonicum compositum esse in eodem versu cum tetrapodia trochaica; trochaeos hoc loco usurpatos esse etiam Steigerus (I, 38; 47) censet.
Sed iam ad Lysistratae versus 616 et 638 monui tam artam coniunctionem a me non probari. Fortasse sic metiendum est: ⏑ / — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ // — ⏑ — ⊔ — ⏑ —. Statuam igitur velut Schmidtius dimetrum et trimetrum paeonicum, sed ita, ut trimetri pes secundus *χρόνῳ πεντασήμῳ* efficiatur; qui quamquam rarissime apud poetas Graecos inveniatur, tamen non est, cur omnino reiciatur Accedit, quod hac monodia poesis Euripidea eluditur, ut hac quoque longa voce Euripidem poeta imitatus esse videatur, velut v. 1348 et v. 1314. Conf. Schmidt. (II, CCCLV et CCCLVI sqq.).

An excidit aliqua vox, qua integer pes paeonicus restituatur, velut *τοῦδε τὴν οἰκίαν?*

Quo iure Kockius hunc versum cretico-logaoedicum appellet, ego non intellego. v. 1359: exstat trimeter paeonicus. 1360. trimeter paeonicus; 1361 dimeter paeonicus[2]).

3. In thesmophoriazusis stropha paeonica, quantum video, non exstat. Quamquam non desunt (velut Dindorfius),

[1]) pro traditis verbis *τόξα λαβόντες* praetulerim Kockii *τόξ' ἀναλαβόντες.*

[2]) Kockium et Blaydesium secutus pro *Ἄρτεμις καλὰ* praeferam *ἁ καλὰ* omissa voce *Ἄρτεμις*, quam glossam esse recte illi iudicasse videntur. Seligerus (p. 18) in hoc versu bacchios coniungi cum paeonibus quartis censet; quid hoc sibi velit, omnino non video.

qui huius comoediae in versibus 106. 119. 125. 316. coniunctionem paeonis et choriambi statuant hoc modo: — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ —. Atque Dindorfius quidem huius coniunctionis nonnulla exempla affert a Sophocle et Euripide petita, velut Soph. Oed. tyr. v. 866: *ὑψίποδες, οὐρανίαν* (conf. Eurip. Helen. 520); sed melius accipitur, quod Rossbachius illo loco Sophocleo proposuit: censuit enim illum versum esse pherecrateum secundum anacrusi praeposita et prima arsi soluta.

4. Reliquum est, ut de illis versibus verba faciam, ubi dochmii cum paeonibus coniunguntur.

De vesparum versu 418 iam alio loco pluribus egimus (p. 35) Restat, ut de eiusdem fabulae versibus 729—736 = 743—749 nonnulla in medium proferamus. Cuius strophae maximam partem iambicae in versu 733 = 747 statuimus dimetrum paeonicum coniunctum cum dochmio: ecce eandem habemus coniunctionem, quae in versu 418 huius comoediae nobis occurrit. Schmidtius (II, CCXLV) pro dochmio dimetrum bacchiacum exstare censet; sed, etsi bacchius et ipse generis hemiolii est, cum nullo alio loco Aristophaneo talis coniunctio inveniatur, hoc quoque in versu eam reicimus, praesertim cum et in antecedentibus versibus (730) et in sequentibus (736) dochmios exstare ab omnibus concedatur. De dochmii et paeonis responsione iam supra iudicium fecimus; conf. p. 33.

## § 6a. Paeones hic illic inserti videntur.

Atque primum quidem de illis locis agam, ubi unus vel duo paeones inter alius generis pedes usurpati esse videntur.

1. In Acharnensium versibus 1215. 1217 quaeri potest, num dimeter paeonicus statuendus sit; sed iam duobus aliis locis, ubi duplicis generis versus eandem clausulam praebent (vespar. v. 1061 = 1092; Lysistr. v. 617. 625 = 639. 647), me trochaeos syncopatos statuere malle exposui, ut his quoque in versibus paeonicum metrum exstare negem.

2. Idem dicendum est de avium versibus 851 = 895, quos Hermannus (elem. doctr. metr. p. 204) dimetros paeonicos anacrusi auctos esse putat; nos plane trochaicos hos versus esse censemus. De avium versibus 242. 260. 261. 262 vide § 5, 1.



3. In thesmophoriaz. versu 663 Steigerus (I, 39) metrum paeonicum inesse atque *κρητικὸν κατὰ τροχαῖον* exstare censet (I, 42). Quod quomodo efficiat, ego intellegere non possum, cum, quae legi velit, non ostendat: verba enim tradita contextum corruptum praebent, qui qua ratione sanandus sit, vix dici potest. Optimum tamen mihi videtur trochaicum metrum restituere [1].

4. Sine ulla autem dubitatione monometer paeonicus statuendus est in ecclesiaz. versu 1166: „Chorus a Blepyro (vel domino) postulat, ut creticum in modum saltet.“ (Selig. p. 1). Ad quae Blepyrus *τοῦτο δρῶ* respondet. Metrum igitur de industria cum saltantis verbis congruere videtur.

## § 6b. Quos paeones indagasse mihi videar in fragmentis et Aristophanis et reliquorum antiquae comoediae scriptorum.

Priusquam singula fragmenta afferamus, monendum videtur permultis locis maxime esse dubium, utrum revera metrum paeonicum exstet, an alius metri vestigia supersint; nihilo autem minus omnes eos locos enumerabo, ubi meo iudicio illud metrum inesse videtur.

### A. Aristophanis fragmenta.

De Tagenistarum fragm. 506 vide § 3 E.

1. *Γεωργῶν* fragm. 110: quattuor dimetri paeonici exstant, quos quidem versus Hephaestio (cap. XIII) affert exempla tetrametri *πολυθρυλλήτου*.

2. Eiusdem fabulae fragmentum 111 Hephaestio et ipse, ubi de paeonico metro verba facit, in medium profert: in his duobus dimetris omnes generis paeonici pedes coniuncti

[1]) Meinekius (vindic. Aristoph. p. 155) proposuit: *εἶα νῦν ἴχνευε καὶ μάτευε τάχυ πάντ'*: at ne hoc quidem modo probabile metrum meo iudicio restituitur; Bergkius: *εἶα νῦν ἴχνευε πάντα καὶ μάτευε πανταχοῦ*; alii aliter.

sunt. Ceterum ex ipsis Hephaestionis verbis (Westph. p. 41, 15. 16) satis elucet falsam esse opinionem Blaydesii, qui, ut hoc fragmentum cum antecedente congruat, pro quarto paeone (*ἐν ἀγορᾷ*) restituere vult primum.

3. Longiorem paeonum seriem etiam in Thesmophoriazusis alteris (fragm. 333) exstare censemus: sunt enim octo dimetri paeonici maximam partem ex primis paeonibus constantes; uno autem loco *κρητικὸν κατὰ τροχαῖον* invenimus: dico secundi dimetri pedem primum (*–γῳδοποιο–*); etenim ante vocalem brevem diphthongum *οι* corripere nobis non licet. (Confer. Arist. Thesmoph. v. 30[1].)

4. Eiusdem fabulae fragmentum 334 efficitur sex dimetris paeonicis; in his tamen versibus cretici primique paeones magis inter se variant. Conf. Westph. 41, 22—24. Ad hunc locum Blaydesius[2]) Fritzschium secutus etiam duos alios versus rettulit in Bekkeri anecdotis[3]) allatos:

*ῥήματά τε κομψὰ καὶ παίγνι᾽ ἐπιδεικνύσαι*
*πάντ᾽ ἀπ᾽ ἀκροφυσίων κ᾽ἀπὸ κιναβευμάτων.* Certe, si metrum respicimus, similitudo quaedam cum antecedentibus exstat; attamen vix de hac re certi quidquam affirmare possumus. Ceterum dubium est, num in voce *κιναβευμάτων* syllaba prima producatur: hoc si censemus, creticum *κατὰ τροχαῖον* statuere debemus; scribendum tamen videtur *κᾰνᾰβευμάτων*.

5. Fortasse metro paeonico ascribendum est Tagenistarum fragm. 497:

*λαμβάνετε κόλλαβον ἕκαστος*

— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑

Kockius vero tetrametri trochaici initium illa verba facere putat.

6. Eiusdem fabulae in fragmento 507 duo dimetri paeonici statuendi sunt:

*Μηδὲ τὰ Φαληρικὰ τὰ μικρὰ τάδ᾽ ἀφύδια.*

[1]) Librorum verba *ἐστί* (v. 1) et *ἐνομίζετ᾽* recte mutata esse in *ἔτι* et *ἐκομίζετ᾽* nemo non concedet.

[2]) Blaydesius, Aristoph. comoed. pars XII, p. 170.

[3]) Bekkerus, anecd. graeca vol. I, p. 415, 31. (Berol. 1814—21).



7. Triphal. fragm. 552:

Sunt, qui hoc quoque fragmentum metro paeonico tribuere velint. Quae tradita sunt:

*κοὐδὲν ἄνδρα εἰς ἄτοπον οὐδ᾽ ἂν ἐπιῇλαι μέν*

vix intellegi possunt; itaque vario modo viri docti coniecerunt, ut sensum aptum et metrum aut trochaicum aut paeonicum restituerent:

Kockius: *κοὐδὲν ἂν δράσαιμεν ἄτοπον οὐδ᾽ ἂν ἐπιήλαιμεν ἄν.*
Dindorfius: *κοὐδὲν ἄνδρ᾽ εἰς ἄτοπον οὐδ᾽ ἂν ἐπιήλαμεν.*

— ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —

Seligerus: *κοὐδὲν ἂν ἕδρας ἄτοπον.*

— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑

Meo iudicio vix certi quidquam afferri potest, praesertim cum, quae post *ἐπιήλαμεν* scripta fuerint, omnino nesciamus.

8. Ex fragmentis incertis unum fortasse huc potest referri: fragmentum 674:

*σφόδελον ἐν χύτραισι μεγάλαις ἑψόμενον.*

quod sic metiendum est:

(—) ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑

Kockius tetrametrum trochaicum exstare putat, cuius quattuor syllabae deessent; neque vero intellegere possum, quo modo eum efficiat.

B. Ceterorum comicorum fragmenta:

De Cratini Trophonii fragmento 222 vide § 4,5.

1. Eupolidis fragm. 160 (*κόλακες*): constat hoc fragmentum ex quattuor dimetris paeonicis; mentionem autem eius facit Hephaestio (cap. XIII):

*φημὶ δὲ βροτοῖσι πολὺ πλεῖστα παρέχειν ἐγώ,*
*καὶ πολὺ μέγιστ᾽ ἀγαθά · ταῦτα δ᾽ἀποδείξομεν.*

2. Eiusdem poetae in fragmento 293 (*χρυσοῦν γένος*) paeonici metri vestigia inesse videntur:

*ὦ κατάλαβρ᾽ ὦ κιθαραοιδότατε*[1])

— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑

[1]) Meinekius fragm. comic. graecor. vol. II, part. 1 p. 540;

3. Phrynichi fragm. 56: *καὶ τέμαχος αὔξιδος* (— ◡ ◡ ◡ — ◡ ⏓): recte Meinekius [1]) et Kockius monuisse videntur paeones hoc loco statui posse.

4. Certe hoc metrum inest in sequente fragmento (57), in quo duos dimetros paeonicos statuimus:

*ἡδὺ δ' ἀποτηγανίζειν ἄνευ συμβόλων.*
(— ◡ ◡ ◡ — ◡ — / — ◡ — — ◡ —)

5. Platonis fragm. 112:

*ὁρᾶτε τὸ διῆρες ὑπερῷον*
(i. e. ◡ — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ — ◡);

quamquam hoc quoque loco dubitari potest, num revera paeones sint statuendi.

fragm. 176 (??): *τῷ στόματι τὸν κύαθον ὧδ' εἰληφότας*
(i. e. — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ / —? — — ◡ ⏓)

6. Ameipsiae fragm. 22:

Dubium videtur, num versus quartus paeonico metro tribuendus sit; Kockius legit:

*οὐ χρὴ πολλ' ἔχειν θνητὸν ἄνθρωπον* (— — — ◡ — — ◡ — — ◡); sequuntur verba:

*ἀλλ' ἐρᾶν καὶ κατεσθίειν σὺ δὲ κάρτα φείδῃ* (— ◡ — — ◡ — // ◡ — ◡ ◡ — ◡ — —).

Hoc si recipimus, alter versus compositus videtur ex creticis et pherecrateo anacrusi aucto; quod ego non probaverim. Mihi quidem optime rem correxisse videtur Bergkius proponens:

*οὐ χρὴ πολλ' ἔχειν θνητὸν ἄνδρ' ἀλλ' ἐρᾶν* — (— — / — ◡ — / — ◡ — / — ◡ —).

Seligerus (p. 40) trimetrum hoc loco exstare censet a basi (— —) incipientem. Aliter Christius (p. 411), qui legit *οὐ . . . . . θνητὸν ἄνθρωπον ἀλλ' ἐρᾶν* et coniunctionem metri paeonici et trochaici statuit; sed nos duos dimetros statuimus, quorum prioris pes primus syncopatus est. Conf. Lysistr. v. 784; ran. 1356; vesp. 413. 414.

[1]) ibidem II, 1 p. 601.



7. Theopompi fragm. 38:

Affert hunc versum metri Theopompei, quod dicitur, exemplum Hephaestio (cap. XIII):

*πάντ' ἀγαθὰ δὴ γέγονεν ἀνδράσιν ἐμῆς ἀπὸ συνουσίας.*

8. Ultimo loco commemoretur Polyzeli fragmentum 9, quod nescio an metro paeonico sit attribuendum: *ὑψιπέταλοί τε κράμβαι συχναί.* — ◡ ◡ ◡ — ◡ — — ◡ —

Tota et mediae et novae, quae dicitur, comoediae fragmentorum congerie paucissima paeonici metri vestigia indagare potui; atque duo tantum afferam, in quibus metrum illud inesse pro certo affirmem:

a) Eubuli fragmentum 112, traditum apud Athen. XV, 685e:

*ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γερόντια τότ' εἰς δόμους,*
*εὐθὺς ἀνεκλίνετο· παρῆν στέφανος ἐν τάχει.*
*ἤρετο τράπεζα· παρέκειθ' ἅμα τετριμμένη*
*μᾶζα χαριτοβλέφαρος.*

Septem igitur dimetros paeonicos maximam partem ex primis paeonibus constantes hoc loco habemus.

b) Alter locus est Anaxilae fragm. 12 (ex fabula *Κίρκη*), ubi haec leguntur: *τοὺς μὲν ὀρειονόμους* (correct. a Meinekio) *ὑμῶν ποιήσει δέλφακας ἠλιβάτους. τοὺς δὲ πάνθηρας, ἄλλους ἀγριώστας λύκους καὶ λέοντας* (*καὶ* vel *ἢ* a Meinekio additum). Certe in versu secundo et, ut recte Meinekius suspicatur, etiam insequente creticos exstare putamus.

---

Quoniam antecedentibus paragraphis Aristophanis fabularum strophas paeonicas singulas tractavimus, nunc, quomodo Aristophanes metro paeonico usus sit, summatim contemplemur. Atque ut perspiciamus, quot quaque in fabula paeones qualesque sint usurpati, primum quidem singulas fabulas temporis ordine observato enumerantes unicuique paeonum numerum ascribemus:

| | summa | cretici | paeon. I | paeon. IV | *κρ. κ. τρ.* | *πενταβρ.* |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 425 Acharn. | 282 | 128 | 153 | 1 | — | — |
| 424 equites | 72 | 51 | 19 | — | 2 | — |
| 423 nubes | 8 | 8 | — | — | — | — |
| 422 vespae | 121 | 59 | 59 | 1 | 2? | |
| 421 pax | 115 | 60 | 54 | — | 1 | — |
| 414 aves | 82? | 40? | 35? | 5 | — | 2? |
| 411 Lysistr. | 172 | 90 | 80 | — | 2 | — |
| 411 thesmoph. | 0 | — | — | — | — | — |
| 405 ranae | 19 | 14 | 3 | 2 | — | — |
| 392 ecclesiaz. | 19 | 13 | — | 6 | — | — |
| 388 plutus. | 0 | — | — | — | — | — |
| | summa | 463 | 403 | 15 | 7 | 2 |

Ex hac numerorum compositione satis elucet summa varietate maximaque licentia Aristophanem [1]) metro paeonico usum esse: liberrime suavissimeque singulae pedis solutiones ab eo ad versus efficiendos adhibitae sunt. Primum autem locum tenet creticus, primaria metri paeonici forma, ut tamen paeon primus numero illum fere aequiperet. Assentiri igitur nequeo Rossbachio, qui paeonem primum usitatissimam rhythmi formam apud poetas comicos esse contendit [2]). Atque etiam hoc commemoratione dignum puto, creticum inprimis in fine strophae paeonicae vel longioris paeonum seriei usurpari, ut tanquam graviorem exitum tota oratio habeat; contra Rossbachius (III, 737 in fine) hoc de paenultimo loco strophae dixit.

Longe maximum paeonum numerum invenimus in Acharnensibus, antiquissima omnium, quae traditae sunt, comoediarum; persaepe etiam eis usus est Aristophanes in Lysistrata; quae fabula quattuordecim annis post illa quidem est acta, sed petulantia ac lascivia primam illam multo superat.

¹) Liceat in sequentibus de solo Aristophane verba facere, cum ceterorum comicorum tam paucae exstent reliquiae, ut vix quaestio de eis institui possit.

²) R. et W. III 737: Die paeonische Taktform erscheint am häufigsten in der aufgelösten Form des *παίων πρῶτος*.



In universum autem iudicantes hoc statuere possumus: in prima comoediarum serie usque ad Lysistratam — exceptis nubibus — metrum paeonicum multo saepius usurpari, quam in posterioribus fabulis. Quod facile intellegitur, cum in his chorus quasi partes secundas agat et metra lyrica, ut ita dicam, passim tantum nobis occurrant.

## § 7. De singulis ordinibus.

### A. De dimetro.

Longe creberrime ad versum pangendum usurpatur dimeter paeonicus, atque plerisque locis bini coniunguntur, rarius terni.

1. Est autem usitatissima illius forma haec: — ◡ ◡ ◡ — ◡ — (vel catalectica — ◡ ◡ ◡ — —), quae octogies quater invenitur. Paucis tantum locis ille dimeter solus versum facit. Velut equ. 308; vesp. 370; pac. 346—360 (bis); 386; Lysistr. 781—799 (quinquies); Lysistr. 1014—1035 vicies bis cum tetrapodia trochaica versum efficit. Bis repetitur haec forma: equ. 310; av. 1066; Lysistr. 1045; ter Acharn. 975. Plerumque autem coniuncta est cum alia forma: — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡: sic undetricies nobis occurrit, velut Acharn. 976—987 (novies); vesp. 1275—83 (octies); pac. v. 385—399 (ter), aliis locis. Hanc metri paeonici compositionem Hephaestio quoque protulit (cap. XIII) et *τετράμετρον πολυθρύλλητον* vocavit.

Interdum duo illi dimetri coniuncti vel tertio augentur: velut pac. v. 386, ubi haec exstat coniunctio:

— ◡ ◡ ◡ — ◡ — / — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ / — ◡ ◡ ◡ — ◡ —

Atque etiam antecedit in nonnullis versibus hic, de quo agitur, dimeter aliis: Velut equ. 617—23; vesp. 486; pac. 1134. 35; his omnibus locis sequitur: — ◡ — — ◡ —.

2. Saepius deinde usurpatur haec forma: — ◡ — — ◡ —, quae sexagies quinquies invenitur. Atque plerumque ita hic

dimeter collocatus est, ut aut incipiat longiorem stropham paeonicam aut concludat, cum in media stropha paeones soluti plures exstent. Exempla haec sunt: Acharn. 204—217; 280—283; 284—301; 665—675; equ. 303—313; vesp. 410—413; 415—487. (463—470); pac. 1127.

Nonnullae strophae minores vel totae vel maximam partem ex talibus dimetris creticis constant. Velut equ. 322—324; nub. 1201—1212; pax 1127—1139, uno dimetro, cuius forma haec est — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —, interposito. Reliquae dimetri formae hic illic tantum inseruntur: e quibus saepissime usurpatur:

3. — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑, quae tamen sola raro invenitur: velut Acharn. 216. 666. equ. 303; vesp. 468. 469, aliis locis.

Plerumque cum ea forma coniuncta, de qua primo loco diximus (— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —) versum facit.

4. — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ vel — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ novies: velut Acharn. 282. 665. 668. 669. aliis locis.

5. ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — bis; 6. ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ semel. Reliquae formae, velut ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ —, — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —, ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, incertae sunt, cum corruptis tantum locis statuerimus.

### B. De trimetro.

Multo rarius trimeter paeonicus ab Aristophane usurpatur; exstat autem paucis locis exceptis aut

a) initio strophae creticae, aut

b) metro paeonico aliis rhythmis interrupto, aut

c) in fine strophae.

a) Commemoranda est ranarum stropha (1356—1365), quae maximam partem ex trimetris ita constat, ut cretici primum locum teneant; conf. Acharn. 665—675.

b) ecclesiaz. 953: et antecedunt et sequuntur iambi. Vesp. 463 trochaei, av. 1069 spondei antecedunt.

Longiori paeonum seriei duo trimetri interpositi sunt Lysistr. 785. 786.



c) Ceteris omnibus locis totius strophae tanquam clausulam trimeter efficit. Velut Acharn. 675; vesp. 413. 14; pac. 360. 399; Lysistr. 796.

Usitatissima autem trimetri forma haec est: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ —; quae quidem forma, cum duos in fine creticos contineat, aptissima videtur ad concludendam stropham.

Praeterea ter haec forma exstat:

— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —

Ceterum in trimetris creticus saepius quam paeon usurpatus est. Plane cretici hi sunt versus: ran. 1356; vesp. 413; ran. 1360; plane paeonicus: av. 1069.

### C. De pentametro.

Quamquam pentameter paeonicus legibus rhythmicis non repugnat, quippe qui tempora viginti quinque *γένους παιωνικοῦ* non transgrediatur (conf. p. 18), tamen propter amplitudinem evitandum eum fuisse a poetis omnes concedent. Et invenimus eum paucissimis locis Aristophaneis, neque in ulla fabula, nisi in Acharnensibus, qua quidem in fabula paeonibus uberrime largissimeque poetam usum esse iam supra vidimus. Quamquam ego ranarum quoque in versu 1358 pentametrum statui: attamen hoc loco res valde dubia est, cum ego *πεντάσημον* exstare censuerim.

Acharn. 215 pentameter ex solis creticis compositus inter dimetros maximam partem solutos positus est.

Pulcherrimam symmetriam offert Acharnensium stropha 289—301: pentameter hoc loco circumdatur duobus tetrametris trochaicis, quibus seni dimetri paeonici et antecedunt et sequuntur.

Acharn. 971—987: duo pentametri eiusdem formae initium faciunt strophae paeonicae.

### D. De monometro.

Nullum excepto ecclesiazusarum versu 1166 invenire potui locum, ubi monometer paeonicus aut solus aut cum aliis metris coniunctus certis argumentis probetur. Uno loco

(Lysistr. 784=808) statui fortasse potest monometer paeonicus catalecticus in bisyllabum, sed nescio an potius hunc spondeum extra metrum positum esse censeamus (velut saepe interiectiones et exclamationes), ut ad versum non pertineat.

## § 8. De responsione, anacrusi, syncopa, catalexi.

### A. De responsione.

In magna metri paeonici varietate facile quaeritur, num poetae omnibus eis locis, ubi antistrophice, ut ita dicam, paeonibus usi sunt, responsionis leges accurate observaverint, ut creticus cretico, paeon primus primo, quarto quartus responderet. Atque Aristophanes quidem paucis locis exceptis diligentissime illarum legum rationem habuisse videtur. Eis autem locis, ubi responsio antistrophica neglegitur, fere omnibus creticus respondet paeoni primo.

a) creticus antistrophae respondet strophae paeoni primo: Acharn. 291=340; 295=342; 299=344; 217=232; Lysistr. 789. 90=811. 12: in his versibus *κρητικὸς κατὰ τροχαῖον* respondet paeoni (conf. p. 26); pac. 352=589: hoc quoque loco, si *γεωργικόν* legeremus, creticus *κατὰ τροχαῖον* responderet paeoni; confer tamen p. 30. 31; pac. 354=592.

b) strophae cretico respondet paeon primus antistrophae: Acharn. 290=339; 300=345; 301=346; equ. 304=382 (conf. p. 38); pac. 353 (— ⏑ —⏑)=590 (*ἀλλαγέντα = -γὸν βίον ἐ (τρίβομεν)*); Lysistr. 477=542 ex Hermanni coniectura (conf. p. 38); Lysistr. 785=809, de quo loco difficili vide p. 26.

Uno loco invenisse mihi videor paeonem primum respondentem quarto: Acharn. 301=346. — De avium versibus 327—335 = 343—351 vide, quae annotavi p. 36. 37. Ecclesiaz. v. 952 verba *φίλον ἐμὸν δεῦρο μοι* transposui, ut responsionem antistrophicam restituerem.

Ceterum ex hac paragrapho hoc intellegi potest, quod iam Steigerus (I, 44) recte monuit, longe plurimas responsionis discrepantias inveniri in Acharnensibus atque inprimis in stropha ex versibus 284—301 (= 335—346) constante; iam supra identidem illam fabulam ex aliis excipere potuimus.



### B. De anacrusi.

Paucis tantum locis, si cunctum versuum creticorum numerum respicimus, anacrusis versui paeonico praeposita est; atque cum ne uno quidem loco bisyllaba nobis occurrat, longa et brevis anacrusis ita usurpantur, ut illa priorem teneat locum. Versus maximam partem dimetri sunt, rarissime trimetri; uno loco etiam pentameter anacrusi introducitur. Neque hoc silentio praeteream inprimis versus ex puris creticis constantes illa augeri. Exstat autem anacrusis longa his locis: Lysistr. 476; nub. 1206—1210; eccles. 953; Lysistr. 786; 788. 1046; pac. 1129. 1130.

Brevis invenitur: av. 410; ran. 1357, 1358; pac. 1128.

Inquirentibus nobis extremo loco, num Aristophanes hac in re responsionis leges servaverit, facile apparet, multo liberius in his illum sese gessisse, quam in ipsis pedibus paeonicis: etenim plurimis eis locis, ubi responsio antistrophica exstare videtur, longa et brevis anacrusis inter se commutantur. Velut Lysist. 476=541; 788=811; 1046=1208; pac. 1128=1160; 1129=1161. Avium in versu 247, in quo nonnulli viri docti anacrusin statuerunt, syllabam priorem vocis *ὄρνις*, itemque pacis in v. 353 vocis *ἀπαλλαγέντα* ad antecedentem versum traxi, quae verborum divisio aliis quoque locis probatur; conf. equ. 322.

De pacis vv. 463=490 vide p. 38.

### C. De syncopa et catalexi.

Perpauca addenda sunt de versibus syncopatis, quippe qui rarissime apud Aristophanem inveniantur. Usitatissima autem forma ea est, ut tribus temporibus contractis spondeus quinque temporum efficiatur. Velut strophae paeonicae initio: ran. 1356; Lysistr. 784=808; vesparum autem in vv. 413. 414 duo trimetri syncopatum illum pedem habent. Praeterea

uno loco *πεντάσημον* statuere non dubitavi (ran. 1358), quem Steigerus (I, 44) negat. Vide quae de hac re supra disserui (p. 43.)

Neque plura dicenda sunt de catalexi. Steigerus complures affert locos (I, 44), ubi bisyllaba vel monosyllaba catalexis exstare videatur. Attamen de pacis vv. 463=490 vide supra; av. v. 247 syllabam *ὄρ–* ad antecedentem versum traxi, ut et anacrusis et catalexis evitaretur (conf. p. 42.). In versibus autem 905. 906 metrum paeonicum omnino non statui. Restat una fabula, in qua versus catalecticos in bisyllabum exstare omnes consentiunt: Lysistratae dico in versibus 783. 788. 89. 90. 91. 92, ubi spondeus *πεντάσημος* dimetrum concludit = 807. 11. 12. 13. 15, ubi semel trochaeus (807), quater spondeus exstat.

Fortasse etiam v. 784=808 de versu catalectico cogitari potest, nisi forte hunc spondeum extra metrum positum esse putamus.

## Caput II. **Metrum paeonicum apud poetas lyricos.**[1]

Altero huius partis capite, quomodo lyrici poetae metro paeonico ad carmina pangenda usi sint, accuratius exponam. Atque in his quoque si certas leges statuere nobis in animo est, unius potissimum poetae, Pindari, ratio habenda est, cum ex ceterorum lyricorum operibus reliquiae tantum exstent atque eae perpaucae illud, de quo agimus, metrum continentes. Neque vero apud ipsum Pindarum carminum eorum numerus est magnus, in quibus revera rhythmum paeonicum inesse omnes fere viri docti consentiunt: Sunt autem haec carmina epinicia: Olympium II et X; Pythium V; dithyrambi fragmentum 75.

[1]) Lyricorum poetarum singuli versus afferuntur ex Theodori Bergkii recensione „lyricorum poetarum graecorum“ voll. tria; edit. quart. Lips. 1878—1882.



Steigerus (part. I, 16—23) ita hanc materiam tractavit, ut de singulis deinceps carminibus paucisque fragmentis dissereret et deinde nonnullas metrici usus leges componeret. Contra ego eodem modo atque antea in Aristophanis comoediis primum quidem de versibus plane paeonicis verba facere malo, tum, quibus aliis cum metris paeones coniungantur, exponam, ut ultimo loco nonnulla de responsione, anacrusi, syncopa, catalexi afferantur.

### § 1. Metrum paeonicum cum nullo alio coniunctum versum facit.

Primum quidem quaerendum est, num a lyricis quoque poetis strophae formatae sint ex solis paeonibus sive creticis constantes ut *κατὰ στίχον* metrum repetitum videatur. Qua in re statuendum est, ne unum quidem carmen memoriae proditum esse, in quo soli paeones usurpati exstent. Revera autem talia carmina fuisse testis est Hephaestio (cap. XIII), qui Simmiae nonnullos versus affert, e quibus elucet poetam illum tota carmina ex solis creticis, velut

*μᾶτερ ὦ πότνια κλῦθι, νυμφᾶν ἀβρᾶν*
*Δῶρι κυμοκτύπων ἦραν᾽ ἀλίων μυχῶν*
et *σοὶ μὲν εὔιππος, εὔπωλος, ἐγχέσπαλος*

aut ex orthiis composuisse velut:

*σέ ποτε Διὸς ἀνὰ πύματα νεαρὲ κόρε νεβροχίτων*

Conferantur, quae in fine huius capitis exstant: *δεδηλώσθω δὲ ὅτι ὅλα ᾄσματα κρητικὰ συντίθεται, ὥσπερ καὶ παρὰ Βακχυλίδῃ·*

*ὦ Περίκλειτε τἆλλ᾽ ἀγνοήσειν μὲν οὔ σ᾽ ἔλπομαι.*

Qua de re vide Steigeri verba (I, 23).

In carmine Olympio II hi versus plane paeonici meo iudicio exstant:

Strophae: v 1: *ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι* trimeter paeonicus catalecticus anacrusi auctus.

v. 3. *ἤτοι Πίσα μὲν Διός. Ὀλυμπιάδα δ᾽ ἔστασεν Ἡρακλέης*

— — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —

Schmidtius eumque secutus Seligerus (p. 52) antibacchios

statuerunt; sed ad melopoeiam eos non esse idoneos iam supra identidem exposuimus. Neque magis assentior Bergkio, qui penthemimeren iambicam et tetrametrum paeonicum exstare censet; etenim rhythmi *μεταβολὴν* hoc loco omnino ineptam esse puto. Rossbachius ex trimetro et dimetro paeonico hunc versum compositum esse iudicat, quorum utrique praeponitur anacrusis longa; attamen cum in medio versu alteram anacrusin statuere dubitem, malo cum Christio (p. 413) et Steigero (I, 17. 18) hunc versum in duos trimetros seiungere, quorum prior anacrusi augetur, posterior *πεντάσημον* continet, qui cur evitetur, non video.[1])

v. 4. *ἀκρόθινα πολέμου* (— ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ —)
dimeter paeonicus.

v. 5. *Θήρωνα δὲ τετραορίας ἕνεκα νικαφόρου*
duo dimetri paeonici anacrusi praeposita.

epodi v. 1. *λοιπῷ γένει. τῶν δὲ πεπραγμένων*
trimeter paeonicus anacrusi auctus.

v. 2. *ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀποίητον οὐδ᾽ ἄν*
— ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — ⏓

Rossbachius putat constare hunc versum ex duobus ordinibus trochaicis, quos dimeter paeonicus catalecticus in syllabam sequatur; sed ut per totum epodum ultimo versu excepto rhythmus hemiolius servetur, cum Steigero (I, 18) pentametrum paeonicum catalecticum in syllabam statuere malo, cuius pes primus cretico *κατὰ τροχαῖον* efficiatur. Artificiosissime autem Christius (p. 413) duos trimetros statuit: — ⏑ —⏑ ⊔⊔ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ / ⊔⊔ — ⏑ — —; primum enim pentasemo largius utitur; tum vero haec forma cretici (⏑ ⏑ ⏑ —⏑) nusquam alibi nobis occurrit, ut valde dubia videatur.[2])

v. 4. *λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ᾽ ἄν.* duo dimetri, alter anacrusi auctus, alter catalecticus in bisyllabum.

v. 5. *ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει* ⏓ — ⏑ ⏑

[1]) In v. 10 Heynii coniecturam *μόρσιμος, ἐπ᾽* recipio, ne responsio antistrophica deleatur.

[2]) In v. 76 optime legitur *Κρόνος* pro *Γᾶς*.



⏑ — ⏑ — / — ⏑ — — duo dimetri paeonici. Rossbachius hunc versum constare censet ex dochmio et dimetro bacchiaco: quae metra quamquam eidem generi attribuenda sunt, tamen meo iudicio paeonica mensura sola praeferenda est. Mommsenius, cuius divisionem (⏓ ⏒ ⏑́⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — —) Steigerus (I, 17 not. 4) miratur, versum plane trochaicum statuit, cuius pes primus iambo polyschematisto, qui dicitur. efficiatur. Confer ad hunc versum Rossb. III. p. 631.

In carmine Pythio quinto:

Strophae: v. 1. *ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής*
dimeter paeonicus anacrusi auctus.

v. 9. *ἕκατι χρυσαρμάτου Κάστορος*
trimeter paeonicus anacrusi auctus.

epodi: v. 7. *ἀφῖκται δόμους θεμισκρεόντων*
⏑ — ⏑⏑ ⏑ — ⏑ ⏑⏑ ⏑ — — Omnes fere viri docti hunc versum trochaicum esse censent; solus Steigerus (I, 19) trimetrum paeonicum anacrusi iambica praeposita exstare iudicat. Atque cum saepius talis anacrusis iambica apud Steigerum nobis occurrat, hoc loco aliquanto fusius mihi exponendum esse puto, quid ille in universum de anacrusi metro paeonico praemissa iudicaverit. Mea enim sententia vir ille doctus in paginis 12 et 13 particulae primae secum pugnare videtur, cum haec disserat: „plerumque videmus anacrusin thesi aequalem esse et in genere pari ex duabus brevibus vel una longa, in iambico ex brevi vel ancipiti syllaba constare“; sine dubio igitur thesin minorem pedis partem intellegi vult, id quod omnes huius aetatis homines metrici probant.[1]) Concludit inde „ratione ad paeonicos versus translata“ paeonici metri propriam ac legitimam anacrusin esse tribrachyn vel iambum; sed pag. 12 idem quinque paeonis tempora recte ita dispertit, ut tria arsin, duo thesin efficiant. An minori pedis paeonici parti maiorem temporum numerum attribuit? Quae ratio inter arsin ac thesin intercederet, iam alio loco accuratius demonstratum est (conf. p. 13—15). Quodsi Steigeri

[1]) Vide Christium (p. 52. 53) et Rossbachium (III, p. 732 init.).

illa lex valeret, etiam in hoc metro legitima anacrusis duo tempora contineret. Videtur autem illa Steigeri de anacrusi sententia certis ac firmis fundamentis omnino carere, cum ipse concedat in ceteris quoque metris alias anacrusis inveniri. Ceterum numerus eorum versuum, quibus ex Steigeri sententia anacrusis iambica praeposita est, tam exiguus est — apud comicos nullus invenitur — ut optimo iure legitimam eam metri paeonici anacrusin agnoscere dubitemus.

Qua de causa Steigeri de versu septimo iudicium reiciendum est. Atque etiam in forma cretici inusitata (⏑ ⏑ ⏑ —⏑) valde addubitandum esse supra exposuimus.

v. 8. *ἀλλ᾽ ἀριστάρματον* dimeter paeonicus. Schmidtius ne hoc quidem loco paeonicum metrum exstare putat, ut in toto epodo desit. Neque tamen est, cur non hic illic versus paeonicus interponatur, praesertim cum in stropha illud metrum pro certo statuamus.

In carmine Olympio decimo:

Strophae: v. 4 *Ἀλάθεια Διός, ὀρθᾷ χερί.* Varie hic versus a viris doctis explicatur: Rossbachius (III, 628) putat monometro paeonico antecedere dimetrum bacchiacum, cuius alter pes solutus est. Steigerus (I, 21) trimetrum paeonicum anacrusi iambica praemissa exstare censet, ut tertio loco pentasemus statuatur: sed de illa anacrusi vide supra. Mihi quidem trimeter paeonicus acatalectus syncopatus et anacrusi auctus statuendus esse videtur hoc modo ⏑ / — — / ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ —.

v. 5. *ἐρύκετον ψευδέων* dimeter paeonicus anacrusi auctus.

Dithyrambi fragm. 75:

v. 1. *ἴδετ᾽ ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι*
dimeter paeonicus anacrusi duarum syllabarum praemissa (⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ —)

v. 2. *ἔπι τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοί*
trimeter paeonicus anacrusi auctus.

v. 5. *οἰχνεῖτε πανδαίδαλόν τ᾽ εὐκλέ᾽ ἀγοράν.*

Omnes fere editores hunc versum in duas partes diviserunt, quarum altera paeonica, altera iambica vel trochaica esse



videtur. Fortasse versus plane paeonicus est, ut duo dimetri exstent, quorum posterior catalecticus in syllabam; quamquam hanc mensuram ut certam affirmare non ausim.

v. 10. *τὸν Βρόμιον, Ἐριβόαν τε βροτοὶ καλέομεν.*
articulo *τὸν* (in uno codice P tradito) post vocem *Βρόμιον* omisso (sic Rossbachius et alii) facillime duo dimetri paeonici efficiuntur. Mommsenius illud *τὸν* retinens sequentem versum schemati metrico sic addit:

— ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — / — ⏑ —

Invicem igitur, si recte eum intellego, dipodias logaoedicas partim solutas et pedes paeonicos hunc versum efficere censet. Quod nimis artificiosum mihi videtur. Steigerus (I, 20) hanc mensuram proponit: — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ —: quae obscura videtur, nisi typothetae errore vitium aliquod irrepsisse statuimus; in notis quidem de lectione nihil disseruit.

v. 13. *Ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει:*
perperam hic versus traditus est; in fine optime legitur *μάντιν οὐ λανθάνει*, ut dimeter paeonicus exstet; sed quae antea scripta fuerint, difficile est dictu. An dochmius primo loco exstabat? Ex reliquis Pindari fragmentis hoc loco nonnulla commemorentur, in quibus metrum paeonicum inesse suspicari licet.

fragm. 53: *χρυσέαι δ᾽ ἐξύπερθ᾽ αἰετοῦ* trimeter paeonicus. (*ἄειδον Κηληδόνες*)

fragm. 83: *ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον·*
fortasse hic exstant quattuor paeones hoc modo: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —

fragm. 108: *θεοῦ δὲ δείξαντος ἀρχάν*
*ἕκαστον ἐν πρᾶγος εὐθεῖα δὴ κέλευθος ἀρετὰν ἑλεῖν*
*τελευταί τε καλλίονες.*

Omnino Steigero assentior (I, 22), qui v. 1 trimetrum paeonicum, v. 2 pentametrum statuit huius formae: ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —; v. 3 dimetrum paeonicum anacrusi iambica auctum exstare censet; qua in re ab eo

dissentio. Fortasse versus initio dochmius statuendus est:
⏑ — — ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ . . . . . . .

In fragmentis 109 v. 4 (= fragm. 228 ed. Boeckh.) et 228 metrum paeonicum inesse nego.

Seligerus (p. 35) fragmenti 142 versum secundum trimetrum paeonicum esse censet:

*νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος.*

sed cum trochaei et antecedant et sequantur, hoc quoque loco trochaeos statuimus.

In fine huius paragraphi ceterorum poetarum lyricorum fragmenta afferre liceat, quae nescimus utrum alio cum metro coniuncta fuerint necne.

1. Alcmanis fragm. 19: *οὐδὲ τῶ Κνακάλω, οὐδὲ τῶ Νυρσίλα*[1]) traditum in Choerobosci exegesi (anecd. I, 82) exemplum *τῆς κατὰ πόδα τομῆς*, constat ex duobus dimetris creticis; Seligerus (p. 47) hiatum in caesura admissum esse monuit, sed cum perperam verba tradita esse facile perspiciatur, ex his solis vix quidquam concludi potest.

2. Eiusdem fragm. 20:[2])

*θριδακίσκας τε καὶ κριβάνας νῶντος*

et ipsum creticis ascribendum est: ex solis creticis est compositum; in corrupto versus fine si Bergkii correcturam *νῶντος* recipimus, exstat dimeter catalecticus in bisyllabum.

3. Fragmentum 38 Hephaestio (cap. XIII) exemplum hexametri cretici affert:

*Ἀφροδίτα μὲν οὐκ ἔστι, μάργος δ' ἔρως οἷα παῖς παίσδει*
*ἄκρ' ἐπ' ἄνθη καβαίνων, ἃ μή μοι θίγῃς, τῷ κυπαιρίσκῳ.*

Nos censemus bis ternos dimetros exstare, quorum tertius et sextus catalectici sunt in bisyllabum.

4. Simonidei hyporchematis in fragmento (31)[3]) nescio an numerus creticus statuendus sit et is in versu secundo, id quod elucere videtur ex sequentibus verbis:

[1]) Westph. edit. Heph. p. 197: *οὐδὲ τῶν κνωδάλων οὐδὲ τῶν *υρσίλων.*
[2]) tradit. apud Athen. III, 114 F.
[3]) *ὅταν δὲ γηρῶσαι νῦν*
*ἐλαφρὸν ὄρχημ' ἀοιδᾷ ποδῶν μιγνύμεν.*



*Κρῆτά μιν καλέοισι τρόπον . . . . . . . .*

Exstant igitur duo dimetri ex solis creticis constantes anacrusi praemissa.

5. Simonidi attribuit *παιᾶνος* fragmentum (26 B) Bergkius, quod scriptum legimus apud Aristotelem (rhetor. III, 8): *Δαλογενές, εἴτε Λυκίαν . . . . . . . χρυσεοκόμας Ἕκατε, παῖ Διός,* eodemque loco alius exstat versus ex quartis paeonibus compositus:

*μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκέανον ἠφάνισε νύξ.*

6. Bacchylidis fragmentum 23 continet metrum paeonicum; quod affert Dionysius Halicarnassensis[1]), ubi de rhythmo paeonico verba facit, hyporchematis exemplum:

*οὐχ ἕδρας ἔργον, οὐδ' ἀμβολᾶς ἀλλὰ χρυσαιγίδος Ἰτωνίας*
*χρὴ παρ' εὐδαίδαλον ναὸν ἐλθόντας ἁβρόν τι δεῖξαι.*

v. 1 trimeter paeonicus; v. 2 item; v. 3 duo trimetri paeonici, posterior catalecticus in bisyllabum[2]).

7. Eiusdem fragmentum 31 Hephaestio (cap. XIII) exemplum pentametri ex solis creticis constantis affert: *ὦ Περίκλειτε τἄλλ' ἀγνοήσειν μὲν οὔ σ' ἔλπομαι.*

8. Corinnae in fragmento 21 metrum paeonicum inesse puto compositum cum versu logaoedico:

*ὅτι βανὰ φοῦσ' ἔβα Πινδάροιο ποτ' ἔριν:*

tanquam chiastice igitur his in dimetris usurpantur creticus et quartus paeon.

9. Fortasse huc etiam pertinet Philoxeni fragm. 13:

*γάμε θεῶν, λαμπρότατε.*

quod Bergkius hymenaeis interposuit: coniungitur paeon quartus cum primo.

10. Paeonibus Timothei quoque fragmentum 9 attribuam:

*σέβεσθ' αἰδῶ σύνεργον ἀρετᾶς δοριμάχου:*

initio igitur pro paeone exstat bacchius; qua in re non offendi-

[1]) de compos. verbor. cap. XXV.
[2]) Seligerus (p. 52) Hermannum secutus supplevit vocem *μέλος*, ut versum priori adaptaret; sed hoc supervacaneum.

mus, quoniam eiusdem generis illum esse supra vidimus, nisi forte paeonem syncopatum anacrusi auctum statuere malumus:
⏑ | — — | — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ —

11. Ex fragmentis adespotis nonnullas exscripsi reliquias, in quibus metrum paeonicum suspicari fortasse nobis licet, quamquam in plerisque certi vix quidquam contendi potest.

fragm. 80: *γλυκυτάτων πρύτανιν ὕμνων*
⏑ ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — | — . . . .

fragm. 85: si Bergkii lectiones huius fragmenti, quod deperditissimum esse ex ipso apographo ab illo allato elucet, recipimus, nescio an nonnullis in versibus metrum paeonicum lateat: *ὕμνον ὧν*
*κλύετε· πέμπω δέ νιν*
. . . . . . . .
*παιδὶ Πυθαγγέλῳ*

v. 1 monometer, v. 2 dimeter paeonicus: v. 3 dimeter creticus.

107: *θυμελικὰν ἴθι μάκαρ φιλοφρόνως εἰς ἔριν:* tres paeones quartos sequitur creticus; conf. Heph. cap. XIII.

fragm. 110: *σοί, Φοῖβε, Μούσαις τε συμβᾶμεν.* Dionysius[1]) hoc bacchiaci versus exemplum esse putat; sed iam supra exposuimus palimbacchium (— — ⏑) pedem rhythmicum non esse (conf. Rossb. III, 756). Est igitur trimeter paeonicus catalecticus in bisyllabum anacrusi praeposita.

fragm. 117[2]): *οὐδ' ἐπείγοντο πλωταῖς* (*πρώιαις* libri) *ἀπήναισι χαλκεμβόλοις:* pentameter creticus.

fragm. 118[3]): *Κρησίοις ἐν ῥυθμοῖς παῖδα μέλψωμεν·* duo dimetri, quorum posterior catalecticus in bisyllabum.

De Simmiae fragmentis vide quae initio huius paragraphi dicta sunt.

Ex carminibus popularibus Hermannus fragmentum 27 rhythmo cretico ascribere vult; attamen cum permultis mutationibus opus sit, rem in dubio relinquimus.

[1]) de compos. verb. cap. XVII.
[2]) Dion. de comp. verb. cap. XVII.
[3]) Dion. de comp. verb. cap. XXV.



Seligerus (p. 26) fragmentum 94 dimetrum creticum esse censet: *ὥς ἄρ' εἰπόντα νιν.*

## § 2. Metrum paeonicum coniungitur cum metro dochmiaco.

Paucis tantum locis dochmius cum metro paeonico a poetis lyricis compositus esse videtur, inprimis autem eo modo, ut dochmius versum incipiat. Sunt vero hi versus:

Olymp. II strophae v. 2: *τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;*

Steigerus tetrametrum paeonicum anacrusi iambica auctum esse censet; vide tamen, quae in priore paragrapho de hac anacrusi iudicavimus. Seligerus hunc versum plane omisit. Bergkius ex tripodia trochaica et trimetro paeonico compositum eum esse putat; plerique vero interpretes, in quibus Rossbachius et Schneidewinus, trimetrum paeonicum statuunt, cui antecedit monometer dochmiacus: his ego assentior. De bacchiis quoque cogitari potest (⏑ ⏑ ⏑ — | ⏑ — — | ⏑ ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — | ⏑ —), sed recte Rossbachius (III, 631) propter solutionum frequentiam hoc metrum minus aptum videri docuit.

v. 6. *γεγωνητέον, ὄπι δίκαιον ξένων, ἔρεισμ' Ἀκράγαντος* (⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ | — ⏑ — — ⏑ — | ⏑ — — ⏑ — —)

Ne huius quidem versus Seligerus mentionem facit. Alii aliter metiuntur; omnes tamen consentiunt in duas partes eum esse separandum; nescio autem, an optime Rossbachius initio versus dochmium statuerit, quem dimeter paeonicus et bacchiacus sequerentur.

epodi v. 3. *χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος·* ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ —

Non assentior hoc loco Rossbachio aut Bergkio, quorum ille paeonem — tripodiam trochaicam — dimetrum paeonicum, hic paeonicum et iambicum dimetrum exstare censet, cum ex epodi versibus duplicis generis rhythmum excepto ultimo versu omnino excludere velim. Perverse Seligerus (p. 50) Schmidtium secutus pentametrum catalecticum partim ex paeonibus partim ex palimbacchiis constantem statuit. Melius fortasse Christius

(p. 413) eumque secutus Steigerus trimetrum et dimetrum hoc modo effecerunt: ◡ ◡ ◡ — / — ◡ —◡ / —— // ◡ ◡ ◡ — — ◡ —; exstaret igitur et creticus κατὰ τροχαῖον et pentasemus in trimetro. Sed in his statuendis „cautissime versandum“ esse ipse Steigerus monuit. Meo iudicio in duas partes hic versus dirimendus est, ut exstet dimeter paeonicus et dochmius cum monometro paeonico coniunctus:

◡ ◡ ◡ — — ◡ — // ◡ — ◡ ◡ ◡ — / — ◡ —

Pyth. V: strophae v. 4 πολύφιλον ἑπέταν

Varie hic versus explicari potest. Vide Rossbachium (III, 626), qui aut tripodiam trochaicam catalecticam aut dochmium exstare censet. Steigerus (I, 18) falso monometrum paeonicum anacrusi iambica auctum statuit. Neque magis arridet sententia Schmidtii, qui dimetrum paeonicum hoc modo efficit ◡ / ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ / —; ego dochmium exstare puto duabus syllabis longis solutis; velut in versu sexto et ipse dochmius invenitur.

Ex Pindari fragmentis: fortasse fragmentum 38 huic paragrapho attribuendum est:

ἐν ἔργμασι δὲ νικᾷ τύχα, (◡ — ◡ ◡ ◡ — / — ◡ —)
οὐ σθένος . . . . . hic versus fortasse plane paeonicus erat.

Fragm. 173: Σύριον εὐρυαίχμαν διεῖπον στρατόν.

Hoc fragmentum etiam a Seligero (p. 35) commemoratur, qui pro Σύριον genetivum Συρίων proponens tetrametrum paeonicum effici putat; qua in re errat: etenim vocis Σύριος syllaba prima brevis est; meo iudicio traditum Σύριον retinendum est, ut habeamus dochmium coniunctum cum dimetro paeonico (◡ ◡ ◡ — ◡ — / — ◡ — — ◡ —) In ceterorum lyricorum fragmentis nullum indagavi exemplum huius coniunctionis.

## § 3. Metrum paeonicum coniungitur in eodem versu cum logaoedico.

Longe plurimis locis apud lyricos poetas metrum paeonicum coniunctum exstat cum logaoedico, ut, cum id generi



duplici ascribatur, μεταβολὴ κατὰ λόγον ποδικὸν statuenda sit. Talem autem coniunctionem paeonum et logaoedorum, qui quidem „in magna formarum varietate ad diversissimos animi motus et affectus exprimendos“ idonei essent, aptissimam esse ad Pindari carmina epinicia, quippe quae ad hyporchemata proxime accederent, Steigerus (I, 30 31) probabiliter exposuit.

Priusquam tamen de forma ac ratione logaoedorum usurpatorum accuratius disserimus, singuli versus tractentur.

In carmine Olympio II:

Strophae v. 7. εὐωνύμων τε πατέρων ἄωτον ὀρθόπολιν. Plerique editores, quibus ego assentior, in duas partes hunc versum dissolvunt: statuunt autem dimetrum paeonicum et pherecrateum, utrumque anacrusi auctum. De cretici forma ◡ ◡ ◡ —◡, quam Steigerus (I, 17) ut pherecratei anacrusis in medio versu evitaretur, statuit, iam alibi disputavi. Schmidtius eumque nimirum secutus Seligerus (p. 46) perverse tetrametrum paeonicum exstare iudicarunt: de palimbacchii usu supra identidem dictum est; praeterea autem illi neglexerunt ultimo loco syllabam ancipitem exstare (conf. v. 54 et 74), ut choriambi formam paeon praeberet, quod fieri nullo modo potest.

In carmine Pythio V:

strophae v. 2: ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ.

Hoc quoque loco Schmidtius choriambum (—◡ ◡ —) paeonis locum tenere censet, cum trimetrum paeonicum exstare iudicet, cui minime assentior (confer etiam Steig. I, 18 not. 3.). Immo recte ab omnibus, ni fallor, paeon solutus cum glyconeo tertio coniungitur.

v. 3. βροτήσιος ἀνὴρ πότμον παραδόντος αὐτὸν ἀνάγῃ (◡ — ◡ ◡ ◡ / — ◡ — ◡ ◡ — ◡ — / ◡ ◡ ◡ —)

Glyconeus secundus interponitur duobus paeonibus, quorum priori praemissa est anacrusis. Schmidtii sententia, qua pentametrum plane paeonicum exstare putat, reicienda est: tum enim aut palimbacchius solutus aut tertius paeon statuendus esset, quod utrumque fieri non potest.

v. 5. *ὦ θεόμορ' Ἀρκεσίλα* (— ⏑ ⏕ ⏕ / — ⏑ ⏑ —); fieri non potest, quin paeonem coniungi censeamus cum dipodia logaoedica vel, si hoc malumus, cum dimetro dactylico.

v. 7. *αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο*
— — ⏑ — / — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓: sic plerique paeonem et pherecrateum efficiunt; quamquam nonnullis ceterarum stropharum locis lectio tradita est mutanda[1]). Alii, velut Bergkius et Schmidtius, syllabas tres primas (— — ⏑), ut traditam lectionem servent, a sequentibus separant, quod improbamus.

v. 10. *εὐδίαν ὃς μετὰ χειμέριον ὄμβρον τεάν*
— ⏑ — — ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ —; priorem huius versus partem consentire cum versu quinto Steigerus (I, 18) recte monuit; augetur autem dimetro paeonico; de versu 72 idem (I, 19 not. 1) recte iudicasse videtur. Rossbachius tertium glyconeum syncopatum priore loco statuere mavult. Cum tamen illa dipodiae logaoedicae forma saepius nobis occurrat, probabilior mihi Steigeri sententia videtur.

Epodi versum primum hoc loco commemoro, quod Steigerus in eo paeonem anacrusi iambica auctum et tetrapodiam logaoedicam inesse suspicatus est: quod non probamus. Alii, velut Rossbachius (III, 616), trochaicam partem et logaoedicam statuunt. Fortasse initio dochmius exstat. ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — ⏑ ⏑ —

Olymp. X. Strophae v. 1: *τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι* (⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — / — ⏑ — — ⏑ —):
Statuimus dipodiam logaoedicam duarum syllabarum anacrusi auctam et dimetrum paeonicum[2]). Comparandus est hic versus cum Pyth. V versu 10, nisi quod ibi pro anacrusi creticus positus est.

v. 2. *Ἀρχεστράτου παῖδα πόθι φρενός:* idem est hic versus atque Pyth. V str. versus 7.

---

[1]) Conf. Rossb. III, 627; Boeckh, Pind. carm. I, de metris p. 481.

[2]) In versu 70 cum plerisque editoribus Boeckhii emendationem *Σᾶμος ὡλιροθίου* recipimus.



Epodi vers. 1: *νέμει γὰρ Ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν Ζεφυρίων* (⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — / — — ⏑ ⏑ ⏑ —)

Cum Steigero (I, 20) priore loco paeonem et dipodiam logaoedicam exstare puto; attamen cum ille versum logaoedicum acatalectum esse censeat, ego catalecticam dipodiam statuo, quippe quae plerumque tali modo cum monometro paeonico coniungatur (id quod identidem supra vidimus). Conf. Rossb. III, 628. Propterea de altera huius versus parte dissentio a Steigero, qui dimetrum paeonicum catalecticum in syllabam efficit: Puto enim dimetrum acatalectum priore pede syncopatum exstare, ut hoc modo versus dirimatur:

⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — // — — ⏑ ⏑ ⏑ —

v. 3. *καὶ χάλκεος Ἄρης. τράπε δὲ Κύκνεια μάχα καὶ ὑπέρβιον*
⏓ ⏕ ⏓ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —

Difficilius est huius versus metrum explicare; efficitur autem difficultas inprimis voce *ἀκρόθινα* (in v. 57). Omnes consentiunt in fine versus tetrapodiam logaoedicam duplicem exstare; atque etiam priore parte omnes fere trimetrum paeonicum statuerunt, sed alii aliter. Rossbachius dimetrum paeonicum anacrusi auctum exstare putat atque uno loco (v. 57) pro paeone primo pentabrachyn statuit (conf. III, 628). Sed cum in voce *ἀκροθίνιον* vel *ἀκρόθινον* tertia syllaba longa sit[1]), illa divisio reicienda videtur; eadem de causa sententia Steigeri falsa est, qui ultimo loco *πεντάσημον* statuens trimetrum efficit (I, 21) — ⏕ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏗ / . . . . .

Meo iudicio nihil relinquitur, nisi ut trimetrum paeonicum primo pede syncopatum statuamus (— — / ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ —); quamquam responsionem cretici (v. 57) et spondei pentasemi valde suspiciosam esse fateor.

v. 4. *Ἡρακλέα πύκτας δ' ἐν Ὀλυμπιάδι νικῶν*
Nullus interpres in hoc versu paeones statuisse videtur; sed quidni huius quoque versus in fine paeonicum dimetrum sta-

---

[1]) conf. Nem. VII, v. 41; Olymp. II, str. v. 4.

tuamus coniunctum cum dipodia illa logaoedica bis repetita, quae saepius nobis antea occurrit?

— — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — —

v. 9. *πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ*

⏑ — ⏑ ⏑ — — | — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ —

Puto dimetrum paeonicum exstare inclusum utrimque dipodia illa logaoedica, priore tamen acatalecta.

Dithyramb. fragm. 75: v. 3: *πολύβατον οἵτ᾽ ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα* (⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑). Dubium videtur, num hic quoque versus constet ex paeone et dipodia logaoedica bis repetita, quippe quae inusitatam formam (— ⏑ ⏑ — ⏑) habeat.

v. 11. *γόνον ὑπάτων μὲν πατέρων μελπέμεν*

Propius accedit hic versus ad Pyth. V stroph. versum 10: dipodia logaoedica interponitur duobus paeonibus.

v. 14. Boeckhii lectionem, quae ad sensum bene quadrat, recipientes (*φοίνικος ἔρνος* pro *φοινικοεάνων*) hoc metrum efficimus: — — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — | — ⏑ ⏑ —: trimeter paeonicus cum dipodia logaoedica.

v. 19. *ἀχεῖ τε Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.*

Hic versus comparandus est cum Pyth. V strophae versu tertio, ubi vero pro dipodia logaoedica exstat glyconeus.

Ex reliquis Pindari fragmentis unum fortasse (169) huic generi ascribi potest, quamquam res valde dubia est:

v. 1. ⏑ ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ — *νόμος ὁ πάντων βασιλεύς*

v. 3. ⏑ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — *ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον*

v. 4. ⏑ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏒ *ὑπερτάτᾳ χειρί· τεκμαίρομαι.*

Versus quartus plane congruit cum Pyth. V stroph. vers. 7, Olymp. X str. v. 2.

Praeter haec Pindari carmina, in quibus certis ac firmis argumentis, ut paeonicum metrum statuamus, adducimur, sunt nonnulla, in quibus num revera paeones sive cretici insint,



valde dubitari potest. Cum vero certa illa documenta plerumque desint atque uno vel duobus tantum versibus totius strophae epodique illud metrum statui fortasse possit, aliter illos versus metiri malo. Nihilo autem minus, ut ad finem tanquam totam quaestionem perducam, ne hos quidem versus silentio praeteream. Uno excepto omnes coniuncti videntur cum metro logaoedico.

Olymp. I, v. 9: *σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν*

v. 10. *Κρόνου παῖδ᾽, ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους*

⏑ — | — ⏑ — ⏑ | — ⏑ ⏑ ⏑ | —? vide Steig. I, 21.

Olymp. XIV: str. v. 6: si lectionem traditam recipimus: *τὰ γλυκέα γίνεται πάντα βροτοῖς*, revera facile cogitari potest de coniunctione dimetri paeonici et dipodiae logaoedicae[1]).

Pyth. XI, str. v. 3: *ἴτε σὺν Ἡρακλέος ἀριστογόνῳ.* Dimeter paeonicus cum dipodia logaoedica?

v. 4. *ματρὶ πὰρ Μελίαν χρυσέων ἐς ἄδυτον τριπόδων*

— ⏑ — ⏑ ⏑ — — | — ⏑ ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ —?

Nem. VII, ep. 1: *σοφοὶ δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον*

⏑ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ ⏒? Conf. Pyth. V, 10. Ultimo loco commemoretur Rossbachium (III, 624) etiam Bacchylidis fragmenti 22 in versu primo metrum paeonicum statuisse *Λυδία μὲν γὰρ λίθος μανύει χρυσόν* — ⏑ — — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑: dipodia igitur trochaica coniuncta videtur cum trimetro paeonico catalectico; sed cum nusquam apud lyricos talis coniunctio inveniatur, nescio an melius cunctus versus trochaicus iudicetur.

Iam quaerendum est, qua ratione quales versus logaoedici coniungantur cum paeonibus; atque haec hac de re statuenda sunt: plurimis locis exstat dipodia logaoedica catalectica, cuius haec est forma: — ⏑ ⏑ —: Pyth. V, str. 5. 10. Olymp. X, str. 1; epod. 1. 4; dithyr. 75, 11. 14. 19. (Ol. XIV, 6; Pyth. XI, 3; Nem. VII, ep. 1). Uno loco acatalecta est: Olymp. X, ep. 9. De dithyr. 75, v. 3 et Ol. X, ep. 3 vide supra. Praeterea paucis locis pherecrateus, velut Olymp. II,

[1]) V. 18 secund. Momms. pro *ἐν μελέταις τε* legendum *ἔν τε μελέταις.*

str. v. 7; X, str. v. 2, aut glyconeus, velut Pyth. V str. v. 2. 3, uno loco tetrapodia logaoedica duplex (Ol. X, ep. 3) exstat, atque ii quoque versus ad unum omnes catalectici. Plerumque vero logaoedi ita usurpantur, ut totius versus posteriorem teneant locum:

Monometrum paeonicum sequitur versus logaoedicus: Pyth. V str. v. 2. 5. 7; Olymp. X str. 2.

Dimetrum: Ol. II, str. v. 7; (Ol. XIV, str. 6; Pyth. XI, 3.).

Trimetrum: Olymp. X, ep. 3; dithyr. 75, v. 14. Minor est numerus eorum versuum, in quibus logaoedi medium tenent atque magnopere illi inter se congruunt: compluribus locis et antecedit monometer paeonicus et sequitur: velut Pyth. V. str. v. 3; (Nem. VII, ep. 1); dithyr. 75, 11. 19; duobus locis pro posteriore monometro exstat dimeter: Pyth. V, str. 10; Olymp. X, ep. 1.

Restant pauci versus, in quibus logaoedi paeonibus antecedunt: Olymp. X, str. v. 1; ep. 4. Olymp. X, ep. 9 dimeter paeonicus cingitur duabus illis dipodiis.

Reliquos omnes versus singularum stropharum, in quas accuratius inquisivimus, hoc loco praetermittendos esse censuimus, quippe qui — maximam partem logaoedici -- metrum paeonicum non contineant ideoque ab hac disquisitione alieni sint.

Iam vero comparantibus nobis paeonici metri usum ac rationem apud poetas comicos et lyricos primo aspectu apparet maximas exstare discrepantias. Quod primum elucet ex ipso pedum singulorum usu: etenim creticus, gravior rhythmi forma, utpote quae Pindari sententiarum gravitati verborumque maiestati magis conveniat, duplo plus ad versus pangendos adhibetur, quam paeon primus et quartus, qui numero fere pares exstant; at Aristophanem paucissimis locis quarto paeone usum esse supra vidimus.

Neque vero ordinum compositio eadem est: Monometer, quem nusquam fere in Aristophanis fabulis indagavimus, saepissime nobis apud lyricos occurrit; contra pentameter rarissime usurpatur.

Plurimum autem interest inter comicos et lyricos poetas in



coniunctione paeonum aliorumque metrorum: perpaucis locis Aristophaneis paeonicum metrum cum alio coniunctum versum facit; haec potius est ratio, ut amplius systema paeonum, ut ita dicam, aut antecedat aut sequatur alius metrorum generis systema. Pindarus autem solo fere illo modo metrum paeonicum usurpavit.

Logaoedi autem et dochmii cum apud comicos paucis locis atque eis partim dubiis cum paeonibus coniuncti inveniantur, in lyricorum carminibus tam primarium usitatumque paeonum supplementum sunt, ut ne uno quidem loco aliam coniunctionem statuere possimus.

## § 4. De singulorum ordinum usu.

### A. De monometro.

Iam supra exposuimus hunc saepius a lyricis usurpari; attamen nusquam monometer solus versum facit: etenim quos Steigerus affert (conf. Pyth. V, str. 4. 6.), in paragrapho huius capitis prima certis argumentis reiecisse nobis videmur. Compluribus vero locis cum aliis metris coniungitur:

a) dochmium sequitur: Ol. II ep. 3; fragm. 38.

b) ceteris omnibus locis coniungitur cum versibus logaoedicis atque plerumque illis praemittitur:

1. dipodiae: Pyth. V. str. 5; Olymp. X, ep. 1; dith. 75, 3;
2. tripodiae sive pherecrateo: Pyth. V, str. 7; Olymp. X, str. 2; (fragm. 169, 3. 4?)
3. glyconeo Pyth. V, str. 2.

Ultimo loco ei versus commemorentur, in quibus logaoedi utrimque monometro paeonico (excepto uno versu, ubi dimeter posteriore loco exstat) circumdantur. Sunt autem hi: Pyth. V, str. 10; dithyr. 75, 11. 19; (Nem. VII, ep. 1.); Pyth. V, str. 3 (in hoc versu glyconeus interpositus est); Pyth. XI, 4?

### B. De dimetro.

A lyricis quoque poetis dimeter saepissime adhibetur ad versus efficiendos; eodemque, quo comici, modo illi plerumque binos, rarius ternos in unum versum comprehenderunt, cum paucis tantum locis solus dimeter versum faciat: cuius rei

haec sunt exempla: Pyth. V, str. 1; ep. 8; Ol. X, str. 5; adesp. 85, 6; dithyr. 75, 1; Olymp. II, str. 4; adesp. 85, 2 Philox. 13.

1. Respicientes, quae de pedum apud lyricos usu supra exposuimus, non miramur dimetri formam usitatissimam, — quae reliquas omnes numero fere aequat, — ex duobus creticis constare (— ◡ — — ◡ —): usurpatur autem diversissima ratione, ut modo sola exstet (confer antea), modo alii formae dimetri antecedat, modo eam sequatur, postremo cum dochmio coniuncta inveniatur (velut Ol. II, str. 6; frgm. 173; dithyr. 75, 13). Semel cum dipodia logaoedica coniungitur: Olymp. X, str. 1.

2. Quae forma apud Aristophanem saepissime exstabat (— ◡ ◡ ◡ — ◡ —), novies tantum in carminibus lyricis nobis occurit, atque ea plerumque coniuncta cum alio dimetro; velut Ol. II str. 5; ep. 4. 5; frg. 83; dithyr. 75, 5; sola exstat dithyr. 75, 1.

Ex ceteris formis saepius usurpantur:

3. ◡ ◡ ◡ — — ◡ — septies: Olymp. II, str. 5; ep. 3. Olymp. X, ep. 4; Pyth. V, str. 10; Corinn. 21; adesp. 85, 2; 107.

et 4. — ◡ — ◡ ◡ ◡ — quinquies: Ol. II, str. 4. 7; Ol. X, ep. 1; dithyr. 75, 10; Cor. 21.

Praeterea nonnullae aliae formae rarissime usurpantur: velut ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ — Simon. 26; adesp. 107.

— ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ — frgm. 83; dithyr. 75, 10.

◡ ◡ ◡ — — ◡ ◡ ◡ Philox. 13; ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ Simmias. De compositione singulorum dimetrorum vix certae leges constitui possunt, cum summa licentia variae eorum formae inter se coniungantur. Quamquam in nonnullis congruentiam quandam facile perspicimus: comparentur inter se Olymp. II, str. 5; dithyr. 75, 10; fragm. 83.

C. De trimetro.

Crebrius poetae lyrici trimetro paeonico usi esse videntur quam comici: etenim in exiguo versuum paeonicorum numero



undevicies eum statuere non dubitavimus, quamquam hic illic partitionem suspiciosam esse non negamus. Atque etiam huius ordinis primaria forma ex solis creticis constat: dimidium fere omnium trimetrorum hoc modo formatum est: velut Olymp. II, ep. 1; Pyth. V, str. 9; frg. 59. Bacchyl. frgm. 23, ubi ter repetitur, interposito tamen uno huius formae: — ◡ — — ◡ ◡ ◡ — ◡ —.

Eiusdem generis est Alcmanis fragm. 38.

Uno loco syncopatus: Ol. II, str. 3.

Tribus locis catalecticus: Ol. II, str. 1, frgm. 108 in syllabam; adesp. 110 in bisyllabum; conf. etiam Alcm. frgm. 38.

De ceteris formis pauca addenda sunt: Bis vel ter haec forma invenitur:

— ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ — ◡ — Ol. II, str. 2; Simon. frg. $26,_2$ (fortasse etiam in versu antecedente eadem forma latet).

Praeterea hae formae comparandae sunt:

Ol. X, str. 4: ◡ — — ◡ ◡ ◡ — — ◡ —

Dithyr. 75, 14: — — ◡ — ◡ ◡ ◡ — — ◡ —

Olymp. X, ep. 3: — — ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ —

Iam ultimo loco adnotetur longe plurimis locis trimetrum solum versum facere. Tribus tantum locis coniungitur cum alio metro: Ol. II, str. 2 antecedit dochmius; Olymp. X, ep. 3 sequitur tetrapodia logaoedica duplex; dithyr. 75, 14 sequitur dipodia logaoedica catalectica.

D. De pentametro.

Nisi tribus locis meo iudicio pentameter non usurpatur: atque duo versus ex solis creticis constant: Bacch. frg. 31, frgm. adesp. 117. De Olymp. II, ep. 2, ubi pentameter huius formae exstat: — ◡ — ◡ — ◡ ◡ ◡ — ◡ — — ◡ — — vide, quae in paragrapho prima exposuimus.

## § 5. De responsione, anacrusi, catalexi, syncopa.

A. De responsione.

In universum rem spectantibus concedendum est, accuratissime responsionis leges a Pindaro, qui solus respicitur,

esse servatas: etenim octo tantum in versibus maiore quadam licentia singulae pedis formae inter se commutantur. Sunt autem hi versus:

Olym. II. str. 3: ⏑ ⏑ ⏑ — (octies), — ⏑ — bis;
str. 6: — ⏑ — octies, — ⏑ ⏑ ⏑ bis;
ep. 1. — ⏑ ⏑ ⏑ ter, — ⏑ — bis; ep. 4: — ⏑ — quater, — ⏑ ⏑ ⏑ semel; Pyth. V, str. 2 — ⏑ — septies, — ⏑ ⏑ ⏑ semel; v. 5: — ⏑ ⏑ ⏑ septies, — ⏑ — semel. Olymp. X, str. 1: — ⏑ — novies, ⏑ ⏑ ⏑ — semel; ep. 3: — — quater, — ⏑ — semel. Creticus igitur, legitimus ille lyricorum poetarum pes, longe plurimis locis exstans quater commutatur cum paeone primo, semel cum paeone quarto (Ol. X, str. 1); de versu 70 vide supra p. 68.

Tribus vero locis paeon primus vel quartus maiorem versuum numerum continet (Ol. II, str. 3; ep. 1; Pyth. V, str. 5), quibus quinquies creticus respondet. Quid de spondei pentasemi et cretici responsione iudicem, iam supra exposui. Rectissime autem Steigerus (I, 26) monuit nonnullis locis nomine proprio responsionis leges turbari: velut Ol. II, v. 3; 26: *Ἡρακλέης–Σεμέλα.*

De anacrusis responsione postea dicetur.

## B. De anacrusi.

Maximam hoc loco discrepantiam statuere possumus inter Aristophanem et Pindarum: nam cum ab illo rarissime versibus paeonicis anacrusin praepositam esse supra viderimus, Pindari in carminibus versus anacrusi aucti tam crebro usurpantur, ut legitimi ac singulares dici optimo iure possint. Omnium versuum, quorum initio paeonicum metrum exstare censuimus — statuimus autem respicientes stropham epodumque primum undetriginta — in quinque tantum anacrusis deest: Ol. II, str. 4; ep. 2. 3. Pyth. V str. 5. 10.

Ceteris omnibus locis anacrusis exstat aut longa aut brevis, atque eae quidem numero fere pares usurpantur (undecies —, duodecies ⏑); uni autem versui duarum syllabarum anacrusis est praemissa (dith. 75, 1).



Iam ex hac compositione luce clarius apparere videtur Steigerum falso iudicasse de paeonum anacrusi legitima (⏑ — vel ⏑ ⏑ ⏑), quippe quae ne uno quidem loco exstet exceptis duobus illis versibus, ubi nos dochmios statuimus: Pyth. V, str. 4. 6.

Sunt autem hi versus anacrusi aucti: Ol. II, str. 1. 3. 5. 7; ep. 1. 4. 5; Pyth. V. str. 1. 2. 3. 7. 9. Olymp. X, str. 2. 4. 5; ep. 1; dithyr. 75, 1. 2. 3. 5. 8. 11. 14. 19; accedunt ex Pindari fragmentis: 108 (⏑); 132 (—) 169, 3. 4 (⏑); ex ceterorum lyricorum reliquiis: Simon. 31 (⏑); Timoth. 9 (⏑); adesp. 110 (—).

Atque etiam hoc memoratu dignum videtur, plurimorum versuum anacrusi auctorum primo loco creticum exstare, cum perpaucis locis paeon primus versus initium faciat: velut Ol. II, str. 5, ep. 5; Pyth. V, str. 2. 3; Ol. X, ep. 1; dithyr. 75. 1. 19.

Quarto autem paeoni in solo dithyrambi fragmento 75 anacrusis saepius praeponi videtur: (conf. v. 2. 3. 11.)

Restat, ut de anacrusis responsione pauca addantur: qua in re Pindarum accuratius quam Aristophanem leges constitutas respexisse facile perspicitur: etenim perpaucis tantum locis longa anacrusis commutatur cum brevi, atque excepto Olymp. X strophae versu secundo nisi semel legitima, ut ita dicam, anacrusis forma non mutatur.

Sunt autem: Ol. II, ep. 5: quater ⏑, semel —; Pyth. V, str. 2: septies ⏑, semel —; Olymp. X, str. 2: octies —, bis ⏑; v. 4: novies —, semel — (v. 25); v. 5: novies ⏑, semel — (v. 68). Duobus vero locis nomine proprio responsionis leges turbatae sunt: Ol. X, v. 50: *Κρόνου;* v. 68 *Τίρυνθα.*

## C. De syncopa.

Paucis locis paeonicum metrum syncopatum statuimus, quibus fere omnibus aliam quoque mensuram proponi posse ac re vera esse propositam non negamus. Aeque autem atque apud Aristophanem legitima ac fere sola syncopae forma ea est, ut tria tempora contracta efficiant spondeum penta-

semum: velut Ol. X ep. 1. 3; strophae eiusdem carminis versui quarto et Timothei fragmento 9 anacrusis praemissa est, ut bacchius versum paeonicum introducere videatur.

Uno autem in versu (Ol. II, str. v. 3) cum Steigero et Christio paeonicum pedem ex una syllaba quinque temporum constantem statuimus.

### D. De catalexi.

Largius ea poetae lyrici usi sunt, quam comici: etenim et apud Pindarum et in ceterorum lyricorum fragmentis complures inveniuntur versus catalectici: atque in illius carminibus versus plerumque sunt catalectici in syllabam longam: Ol. II, str. 1, ep. 2. 5; Ol. X, ep. 4; fragm. 108. Semel bisyllabam catalexin statuimus: Ol. II, ep. v. 4.

Ceterorum autem lyricorum in fragmentis versus catalectici in bisyllabum plures exstant. Conf. Alcm. frgm. 20. 38; adesp. 110. 118; catalectici in syllabam: Bacchyl. 23. 2; adesp. 80 (?).

## Caput III: **Metrum paeonicum apud poetas tragicos.**[1])

Haud magnus est numerus eorum apud tragicos versuum, in quibus metrum paeonicum exstare affirmari potest: et longe plurimis locis coniunctum est cum metro dochmiaco. Atque ea est pedum coniunctio, ut aut dochmii et paeones unum versum faciant, aut intra eandem stropham paeonici versus dochmiacis admisceantur. Strophae vero plane paeonicae aut cum alieni generis metris coniunctae rarissime statui possunt.

Priusquam autem ad ipsos versus tractandos adeamus, paullo fusius exponendum esse puto, quae ratio inter dochmios et paeones intercedat. Quam variis modis viri docti dochmii naturam vel formam intellegi voluerint, hoc loco explicare supervacaneum est, cum copiosius in scriptis metricis illi de ea re disseruerint[1]). Ego inprimis hoc mihi proposui, ut Steigeri novam sententiam refutarem: is enim, ut iam supra monui, dochmium monometrum paeonicum esse censuit, cui anacrusis illius metri propria iambica praemitteretur huius formae: ⏑ – vel ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ –⏑, – ⏑ (conf. Steig. II, 10. 16). Iam antea, cum de lyricorum versibus paeonicis agerem, demonstrasse mihi videor Steigerum in anacrusi illa statuenda errasse; vide p. 59. 60. Atque etiam alia de causa illius sententia reicienda videtur. Statuit enim pro cretici media syllaba brevi longam irrationalem usurpari posse: hoc inde potissimum conclusit, quod permulti dochmii (inprimis in Euripidis tragoediis) talem longam in syllaba paenultima haberent; praeterea nonnullos versus plane creticos attulit, in quibus creticum huius formae (– – –) certe exstare contendit. Accuratius autem nobis spectantibus apparet eorum, quos ille in medium protulit, versuum metra paucis mutationibus factis ita restitui posse, ut irrationalis syllaba evitetur. Sed videamus singula:

Eurip. Ion. v. 676=695 (Steig. II, 6; III, 9)
ὁρῶ δάκρυα καὶ πενθίμους
⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ –
φίλαι, πότερ᾽ ἐμᾷ δεσποίνᾳ
⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ – – – –

Coniectura facili locum sanamus cum Dindorfio pro πενθίμους scribentes πενθήρεις: (vide Eurip. Troad. v. 141;) stropha igitur dochmiaca, ut saepissime, introducitur versu iambico.

Eurip. Orest. v. 145=157: ἀᾶ σύριγγος ὅπως πνοά.
= ὀλεῖς εἰ βλέφαρα κινήσεις.

Steigerus (II, 7. 22) dochmium cum cretico, nos potius cum Rossbachio (III, 793) et aliis bacchium cum dochmio coniungimus. Steigerus talem coniunctionem statuere dubitat

[1]) Aeschyli tragoediarum versus afferuntur secundum editionem quintam a Dindorfio curatam (Lips. 1882), Sophoclis tragoediae ex recensione Dindorfii (edit. VI a Meklero curata Lips. 1885). De Euripide vide p. 2.

[1]) Vide R. et W. III, 761 sqq; Christ, Metrik p. 432 sqq; Seidlerus, de versibus dochmiacis Lips. 1811. 12; Gleditsch in J. Mueller, Handbuch d. class. Altertumswissenschaft vol. II, 765 sqq.

(II, 22), „cum certa talium versuum vestigia non exstent“ (conf. tamen Pind. Ol. II, 6.); ceterum haec forma dochmii — — — — ⏑ ⏑ rarissima est: vide Rossb. III, 776; Seidl. p. 76.

Eurip. Phoen. 320. 321. *ἢ ποθεινὸς φίλοις*
*ἢ ποθεινὸς Θήβαις* [1])

Cum Seidlero dochmium efficimus utroque loco particula *ἢ* omissa.

Eurip. Helen. 661. 662: *ἒ ἔ · πικρὰν ἐς ἀρχὰν βαίνεις*
*ἒ ἔ · πικρὰν δ' ἐρευνᾷς φάτιν.*

Utroque loco quartum paeonem cum dochmio coniunctum statuimus. Item Phoen. v. 153: *ὃς ἐπ' ἐμὰν πόλιν ἔβα πέρσων.* Conf. Hippol. 1278; Herc. fur. 910, de quibus postea. Idem de ceteris versibus dici potest ab illo allatis: velut Orest. 168 = 189; Phoen. 109. 178. Est autem talium versuum tam exiguus numerus, ut nimis audacter ex his solis irrationalitatem mediae cretici syllabae affirmasse ille mihi videatur.

Prorsus vero assentior Steigero in eis, quae de coniunctione paeonum et trochaeorum apud tragicos poetas (partic. I, 48—50) disseruit, cum primarias illas leges a Rossbachio et Westphalio constitutas[2]) accipiat:

1. Ist der Grundrhythmus trochaeisch, so gelten die Cretici innerhalb des Verses als catalectische Ditrochaeen . . . . . . . .

2. Ist der Grundrhythmus paeonisch, so sind die eingemischten Ditrochaeen *κρητικοὶ* im Sinne der Rhythmiker.

Nisi igitur certissimis argumentis adducimur, i. e., nisi certo primi paeonis usu metrum paeonicum exstare persuasum habemus, coniungi hoc metrum cum trochaico negamus. Immo in strophis maximam partem trochaicis pedes huius formae — ⏑ — vel ⏑ ⏑ ⏑ — dipodias trochaicas syncopatas aut

---

[1]) Geelius pro *Θήβαις* proposuit *πόλει*, ut dimeter paeonicus exstet.

[2]) R. et W., Metrik der griech. Dramatiker etc. I. Aufl. vol. I, § 35. p. 154.



solutas esse censemus [1]). Quo fit, ut permulti versus ex numero paeonicorum excipiendi sint, quos Seligerus hoc discrimine non facto paeonicos vel trochaico-paeonicos appellavit [2]).

## § 1. Metrum paeonicum coniungitur cum dochmiaco.

Iam supra monuimus saepissime metrum paeonicum a poetis tragicis cum dochmiaco in eodem versu coniungi. Longe

---

[1]) Dindorfius in libro, qui inscribitur „metra Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et Aristophanis descripta“ tales versus modo iambo-trochaicos, modo iambo-creticos appellavit.

[2]) Longum est omnes illos versus deinceps enumerare. Sufficiat e magno numero nonnullos afferre:

Aeschyli: Sept. v. 287. 890=901; 935=949. Pers. 126. 128; Suppl. 96. Agamemn. 238. 40. 42. 44 (conf. Rossb. III, 267); 437. 40. 41 (Rossb. III, 271). v. 1072: Seligerus (p. 18) censet hoc loco paeonem cum bacchio coniunctum esse (⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ — —); facillime autem versum trochaicum efficimus (⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ / — —). Ceterum in talibus exclamationibus certum metrum statuere plerumque difficile est, cum in his libri valde dissentiant; (conf. Wecklein, edit. Aeschyl. append. p. 180; vide supra p. 42 ad av. v. 227 sqq.). — v. 1453: Seligerus strophae cretico in antistrophae versu 1473 paeonem quartum respondere putat; quod facile evitamus in versu 1453 pro *πολλὰ* cum Hauptio *πολέα* legentes (Rossb. III, 683).

Eumen. v. 329. 30: facile dixerit quis in his versibus, qui hanc praebent formam (⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — *ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ*), inesse metrum paeonicum; cum vero et antecedant versus trochaici et sequantur, hoc quoque loco trochaeos syncopatos solutosque statuimus (Steig. I, 50).

Sophoclis: Philoct. v. 201=210: quomodo Seligerus hoc loco trimetrum paeonicum efficiat, non intellego; cum Gleditschio (die Cantica der sophocleischen Tragoedien; Wien 1883; p. 161) et Rossbachio (III, 707) versum iambicum statuimus. — Electr. 1419; Antig. 881. 82. Seligerus sic metiri videtur: — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ — ⏑ — —, cum trimetrum paeonicum (p. 32) coniunctum esse censeat cum versu trochaico (p. 6); quod falsum est, cum vocis *πότμος* syllaba prior a poetis plerumque brevis habeatur (conf. Oed. tyr. 271; Antig. 83) — Oed. tyr. 649. 652. (conf. Rossb. III, 787; Steig. III, 12.)

Euripidis: Rhes. 682; Troad. 820. Helen. 515; Iph. Aul. 1508; Med. 981; de Androm. v. 1205 vide p. 2.

plurimis autem locis monometer paeonicus[1]) dochmiaco antecedit, ut haec exsistat forma ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ / ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑, cui quidem versui Steigerus (V. XIII) nomen epidochmiaco indidit[2]); atque vicies quinquies fere is versus nobis occurrit. Negari non potest permultos eiusmodi versus aliter quoque intellegi posse, ut aut trochaei partim syncopati evadant (velut — ⏑ / — ⏑ / — / — ⏑ / —), aut versus trochaeologaoedici, si dochmius hanc exhibet formam — ⏑ ⏑ — ⏑ — (velut — ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ —). Sed nonnulli exstant versus, ubi mensuram illam praeferendam esse ex totius strophae symmetria elucet.

Totidem fere versus hanc intra strophas dochmiacas habent formam:

⏑ — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ — vel ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ — — ⏑ —; quos et ipsos paeonico-dochmiacis adiungere non dubitamus, quamquam hos quoque duplici generi nonnulli viri docti adscribunt. Duo vero illi versus sic commutari possunt, ut aut pro monometro dimeter paeonicus dochmio antecedat, aut monometrum, dimetrum, trimetrum paeonicum dimeter dochmiacus sequatur: quo modo hae novae formae oriuntur:

3. — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ —; 4. ⏑ — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ —; 5. — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ — ⏑ — — ⏑ —; 6. — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ — ⏑ — — ⏑ —; 7. — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ — ⏑ — — ⏑ — (semel).

In sequentibus, ne quid omisisse videar, omnes versus, in quibus eiusmodi coniunctiones exstant, enumerabo; semper autem hoc tenendum est permultis locis rem valde dubiam esse.

Primum afferantur ei, in quibus creticus cum dochmio coniungitur: 1. — ⏑ — / ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑

[1]) Schmidtius (Kunstformen II, p. 294. § 26, 2) monometrum paeonicum non probavit: „Das Vorkommen der Monopodie ist durch nichts bewiesen und sehr unwahrscheinlich". Cui non assentimur.

[2]) Ne Christius quidem hanc metrorum coniunctionem statuere dubitavit; vide, quae in pagina 441 de hac re iudicaverit. Confer etiam Rossbach III, 781 fin. (Agam. 1408).



Aeschyl. Sept. 107[1]): Prometh. 575 = 594.

Sophocl. Aiac. **886**[2]) = **931**; **889** = **935**; 902 = 948. Oedip. Colon. 1450 = 1465.

Euripid. Hippol. **366**. **367**: Duobus trimetris iambicis exceptis stropha plane dochmiaca est, ut his quoque in versibus dochmium statuere non dubitemus. Ion. 1490. 1491. 1498. 1501. (conf. Christ. p. 442); Herc. fur. **746** = **759**; 897. 912. 915. 921. Phoen. 346.

Steigerus huc Orest. v. 168 = 189 traxit, cuius versus forma haec est: — — — / ⏑ — — ⏑ —: quod iam antea reiecimus: fortasse autem in antistropha legendum est *οὐ δή*, ut dochmius cum cretico coniunctus exstet — — — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ —. Idem (III, 28) Orestis strophae 1369—1379 nonnullos versus aliter ac plerique editores divisit.[3]) Quod improbamus.

Multo rarius quartus (sexies?) vel primus (ter) paeon dochmio antecedit: atque haec exstant exempla; Eurip. Hipp. 1278, si usitatam versuum distributionem recipimus: *χρυσοφαής, φύσιν — ὀρεσκόων σκυλάκων* (⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ —) — *πελαγίων δ' ὅσα τε γᾶ τρέφει* (cf. Steig. V, XIV, not. 5). — Helen. 661. 62: de quibus antea dictum p. 80. Herc. fur. 910. Phoen. 153 (vide p. 80). Fortasse huc pertinet Orest. v. 179 = 200: *τὸν Ἀγαμεμνόνιον ἐπὶ δόμον* (⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓). —

Aeschyl. Pers. 664[4]) = 671. Agam. 1091. (?) — Eurip. Ion. **1489**.

2. ⏑ — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ — Undevicies haec forma

[1]) Legimus cum Weckleinio *ἄν ποτ'* . . .

[2]) Cum Dindorfio et aliis voces *εἴ ποθι* ad sequentem versum trahimus; contra Gleditschius totam stropham duobus versibus iambicis exceptis dochmiacam efficere vult (p. 29); confer tamen ad haec Rossb. III, 799.

[3]) Falso (III, 28 not. 1) Steigerus de versus 1370 voce *εὐμάρισιν* indicasse videtur: etenim illius vocis syllaba secunda apud Euripidem brevis est, ut non creticus cum dochmio coniunctus, sed glyconeus exstet. Conf. Alcest. 492; Iph. Aul. 969; Helen. 1227.

[4]) Legendum *Δαριάν*; Rossbachius (III, 778) hoc loco tetrapodiam logaoedicam duplicem statuit.

nobis occurrit: atque duobus locis exceptis creticus initio versus exstat.

Aeschyl. suppl. 347: hunc versum solum ex magno tragicorum exemplorum numero Seligerus (p. 19) Schmidtium secutus attulit. — Suppl. 370. 738. — Agam. 1100 = 1107; 1117.

Eumen. 172 = 178 [1]); Eumen. 786: plerique Hermannum secuti, ut trimetrum iambicum efficerent, verba *ἰὼ δίκα πέδον ἐπισύμενος* mutarunt (conf. Stg. III, 19); sed hoc supervacaneum videtur: exstat stropha variis metris commixta.

Sophocl: Ai. 396 = 414; Philoct. 400: Gleditschius (p. 162) duplicata interiectione *ἰὼ* — quod facile fieri potest — dimetrum dochmiacum restituit; Seligerus huius versus in pagina sexta mentionem facit: sed quomodo verba inter metrum paeonicum et trochaicum distribuere velit, non apparet:
⏑ — ⏑ / — ⏑ — — ⏑ — ? an ⏑ — ⏑ — ⏑ — / — ⏑ — ?

Eurip.: Hec. 1092. Hipp. 866.[2]) Med. 1255. 56. = 1265. 66: contextus verborum corruptus est, ut metrum aptum non evadat. Seidlerus, quem plerique secuti sunt, proposuit: *τᾶς σᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσέας γονᾶς*, ut dochmius et dipodia iambica exstaret, itemque v. 1256 dipodia iambica: *αἵματι πίτνειν*; Steigerus (II, 21 not. 5.) Seidleri emendatione recepta dochmium cum paeone anacrusi aucto coniunctum esse censet; sed etiamsi saepius talis monometer dochmio antecedit, tamen posteriorem locum tenere illum posse negamus. Ipse Steigerus verbis *ἀπὸ* et *χρυσέας* transpositis prorsus aliter versus distribuit:

*σᾶς γὰρ χρυσέας ἀπὸ γονᾶς ἔβλαστεν θεοῦ —.*
*δ' αἵματι πίτνειν φόβος ὑπ' ἀνέρων.*

— — — ⏑ — / ⏑ ⏑⏑ — ⏑ — / — ⏑ — // — ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —, sed de iambica illa dochmii forma ⏑ — — —

[1]) In antistropha traditum *ἐκείνου* ad metrum non quadrat; sensui aptissimum videtur Weilii *ἐκ γένους* vel *ἐκ νέου* (Ahrens); minime assentimur Schmidtio, qui hanc dochmii formam statuit ⏑ — ⏑ —

[2]) Ullum verbum supplendum esse cum Steigero (II, 21 not. 1) nego.



⏑ — ⏑ — ⏑ — valde addubitaverim. Equidem suspicor nonnullis syllabis suppletis dochmium esse restituendum.

Hel. 648; Phoen. 127 [1]); Phoen. 296. Orest. 1467. Troad. 241. Duobus vero locis paeon primus anacrusi auctus dochmio antecedit: Iph. Taur. 852. Orest. 1502.

Aesch. Eum. 156: Steigerus (III, 8) vocem *διφρηλάτου* ad sequentia trahit, ut paeonem cum dochmio coniungat. Confer tamen versuum partitionem in Merkelii „Aeschyli quae supersunt ex codice veterrimo Laur.“ (p. 85.). Neque magis fieri potest, ut dochmium creticus anacrusi auctus sequatur (vide antea). Censemus igitur dochmium antecedere dipodiae iambicae.

Sophocl. Oed. Col. 1477. 78: Steigerus (III, 10. 11) sic legere vult: *ἐὰ ἐὰ* ⏑ — ⏑ — = *ἰὼ ἰὼ* (1491)

*ἰδοῦ μάλ' αὖθις ἀμφίσταται* (⏑ — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ —)
antistr.: *παῖ βᾶθι βᾶθ' εἴτ' ἄκραν* (*μολών*). Gleditschius (p. 216) dimetrum dochmiacum efficere vult; sed cum de interiectionibus certa quaestio institui non possit, res dubia est; malo tamen cum Schmidtio dimetrum dochmiacum hoc modo efficere:

*ἐὰ ἰδοῦ μάλ' αὖθις ἀμφίσταται*
antistr.: *ἰὼ ἰὼ παῖ βᾶθι βᾶθ' εἴτ' ἄκραν*

3. — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ —

Aeschyl. sept. 206 (?); Prom. 576 = 595.[2]) Eumen. 268.

Eurip.: Herc. fur. **744** = **757**. Bacch. **981** = **1001**: strophae verba emendanda sunt, cum de antistrophae contextu vix possit dubitari; maxime arridet Meinekii: *τὸν κατάσκοπον*; quamquam ne Nauckii quidem coniectura *ἐνθέων σκοπόν* (cf. Stg. II, 29 not.) omnino reicienda est. — Bacch. **989** = **1009**;

Aeschyl. sept. 114.[3]) Eurip. Troad. 269.[4])

[1]) Exclamationes *ἒ ἒ* extra metrum.

[2]) In antistrophae verbis traditis nihil mutandum: *τὰν ταλαίπωρον ὧδ'* (Steig. V, XVI).

[3]) Particulam *γὰρ*, ut sensui aptissimam, retineo et pro *πτόλιν* legere malo *πόλιν*, ut hoc metrum evadat — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ ⏑ — — —.

[4]) Alii aliter metiuntur; velut Schmidtius duos dochmios statuit; ego hoc propono: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — // ⏑ ⏑ ⏑ — — —

4. ⏑ — ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ —

Sophocl. Antig. 1261: Gleditschius et Schmidtius sive duplicata exclamatione, sive extra metrum posita dochmios efficiunt; quod supervacaneum videtur (conf. Stg. II, 24.). Idem dicendum est de Aiac. v. 348.

Eurip. Herc. fur. 739 = 752; Suppl. 1072.

Aeschyl. sept. 96: Schmidtius, ut antistrophicam responsionem statueret, verba *ἰὼ μάκαρες εὔεδροι* omisit; quod non probamus. Neque magis Rossbachio (III, 775) et Dindorfio assentimur, qui dimetrum dochmiacum efficiunt; exstat haec forma: ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — — — ⏑ —; eadem forma sept. v. 481 exstat (*ἰὼ πρόμαχ'* . . . .). — Prom. 573: — — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ — — —. Eumen. 778: Steigerus sic metitur:

⏑ — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ —;

videtur igitur vocem *νεώτεροι* trisyllabam usurpare; cuius quidem rei causam non video; ipse Steigerus (III, 1) dimetrum iambicum, quem catalecticum vocat (⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —) „frequentissime“ cum dochmiis coniungi affirmat.

Eurip. Phoen. 295: Steigerus (III, 7 not. 3) bis traditum *ἔβας* et *γαῖαν* retinens dimetrum paeonicum cum dochmio coniungit; sed vocis *πατρῷος* syllabam primam apud Euripidem brevem esse ex reliquis locis elucere videtur (conf. Hec. 82. Heracl. 810. Phoen. 1450). Ego *ἔβας* semel scripto et *γᾶν* pro *γαῖαν* posito bacchiacum versum efficere malo; contra Rossbachius (p. 794) versum iambicum syncopatum exstare censet.

5. — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ —

Aeschyl. Agam. **1408**: plerique editores verba *ἢ ποτὸν* cum v. 1407 coniungunt, ut dimeter iambicus dochmium sequatur (Steig. III, 19); attamen cum tota stropha excepto ultimo versu logaoedico ex dochmiacis dimetris constet, nescio an melius illa verba ad versum 1408 trahantur, ut quattuor dimetri dochmiaci exstent, quorum secundo creticus praeponatur (cf. Christ, 441; Rossb. III, p. 781).



Eurip. Ion. 1470.[1]) — Orest. 1451.

6. — ⏑ — / — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ —

Uno loco haec forma exstare videtur:

Aeschyl. sept. 110: varie viri docti iudicarunt; de supplemento *ὧδ'* post *πάντες* (Dindorf.) vel *ἴδετ'* (Steig. III, 24 sqq.) nihil addendum; quaeritur de versus initio: recte emendatum est *πολίοχοι.* Steigerus omissis interiectionibus dimetrum paeonicum statuit (⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏓); sed primum interiectione quadam ante vocem *θεοὶ* opus esse censeo; deinde lacunam post vocem *χθονὸς* ille neglexit. Meo igitur iudicio strophae dochmiacae initio dimeter paeonicus exstat (*ὦ* vel *ἰὼ θεοὶ πολίοχοι*), post quem dochmius est supplendus: *χθονὸς* ⏑ — ⏑ —: sensui aptam coniecturam fecit Fritzschius: *ἐπίρροθοι.*

7. — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ — ⏑ — — ⏑ —

Haec quoque coniunctio uno fortasse loco statui potest: Eurip. Orest. 185/86: Dindorfius sic dividit verba, ut in versu 1 pentabrachyn coniungat cum dochmio, v. 2 dimetrum paeonicum cum dochmio. Usitatam si recipimus partitionem, exstat trimeter paeonicus cum dimetro dochmiaco coniunctus, nisi forte cum Hermanno post *ἀπὸ* interposita particula *δὲ* duos dimetros dochmiacos statuere malumus. —

Sequitur, ut in eos versus inquiramus, in quibus dochmii priore loco positi sunt, posteriore paeones. Saepissime in his monometer dochmiacus cum monometro cretico coniunctus occurrit.

1. ⏑ — — ⏑ — / — ⏑ —

Aeschyl. sept. 116.[2]) 169. Choeph. 152: stropha iambodochmiaca (*παιᾶν τοῦ θανόντος*) introducitur hoc versu: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ ⏓: assentior Rossbachio (III, 782), qui dochmium coniunctum esse censuit cum paeone, praesertim cum etiam in versu 153 meo quidem iudicio dimeter paeonicus exstet (conf. tamen Steig. III, 13).

---

[1]) Semel scripto verbo *τέκνον;* conf. Steig. V, XV, not. 6.

[2]) Traditum *παντελές* tenendum est, *πάντως* ad sequentia trahendum.

Eurip. Hippol. 1380 (res dubia est); Med. 1251. Med. 1280[1]). Androm. 833[2]): Ion. 723[3]). Phoen. 189; Iph. Taur. 861[4]); Ion. 1502 (cf. Stg. V, X); Bacch. 1153. 1154; 1170=1186. De Ion. v. 676. Orest. 145. 168 vide p. 80.

Steigerus praeterea tribus locis hanc coniunctionem statuit: Aeschyl. sept. 566: scripsit in fine huius versus *εἴθε γὰρ* et vocem *θεοὶ* initio sequentis posuit (III, 18): fortasse ante *θεοὶ* vocula quaedam excidit, ut dochmii haec forma exstet: — ⏑ ⏑ (—) ⏑ —

Eurip. Hecub. vv. 703—706 fusius sunt tractandi: Steigerus (III, 15): v. 704: *ἐμῶν ὄψιν οὔ με παρέβα*
⏑ — — ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ —
705: *φάσμα μελανόπτερον* — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏓;
plerique editores v. 703 et 704 dimetros, v. 705 monometrum dochmiacum statuunt legentes *οὐδὲ παρέβα με:* sed interiectionum illarum syllabas sic metiri dubito: — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ (*ὤμοὶ αἰαῖ ἔμαθον ἐν–*); cum Schmidtio (III, XCVI) extra metrum illas ponere malim; atque etiam in sequentibus illum sequar, qui voce *ὄψιν* ante *ὀμμάτων* et voce *με* post *παρέβα* posita trimetrum iambicum effecit: quod eo magis placet, cum exceptis versibus 694 et 710 Hecuba orationem omnibus locis a trimetro iambico incipiat. — Phoen. 300[5]).

Dindorfius Sophocl. Philoct. 838=854 et Eurip. Phoen. 293 eandem mensuram proposuit: sed nos illis locis cum Hermanno strophae verba emendantes (*πολύ τι*) dimetrum dochmiacum statuimus; altero autem loco vocem *ἄναξ* ad. v. 293 trahimus, ut item dimeter dochmiacus evadat.

[1]) Sequimur Seidlerum, qui pro tradito *ὧν* scripsit *ὃν*; aliter Steigerus (II, 26) hunc versum divisit; qui non audiendus videtur.

[2]) Cum Nauckio vocem *στέρνα*-quod facile fit-omittimus; sed cum ordo verborum ipseque contextus incertus sit, res dubia videtur.

[3]) Pro tradito *ἁλίσας ὁ πάρος* cum Seidlero legimus *ἅλις δ' ὁ πάρος*; miror Steigerum hoc loco (III, 21) versum iambicum statuisse, cum plerisque eiusmodi locis idem ac nos iudicaverit (conf. V, XV. XVI).

[4]) Articulum *τῶν* cum Seidlero (p. 221) ante vocem *ἐκεῖ* ponimus.

[5]) Steigerus: *ὠλέναισιν*; attamen nos cum plerisque dimetrum dochmiacum statuimus (cf. Seidl. p. 253).



2. ⏑ — — ⏑ — // — ⏑ — / — ⏑ —

Aeschyl. Prom. 588=608; Agam. 1118=1129 (conf. Steig. III, 7; Selig. p. 21); Agam. 1123: statuimus hoc loco dimetrum catalecticum in syllabam (conf. Steig. V, X; III, 7); Seligerus autem (p. 18) hoc loco quartum paeonem cum dimetro bacchiaco coniunxit, quod non probamus.

Agam. 1143 = 1153: sunt, qui verba tradita mutaverint, ut aut dimetrum dochmiacum (velut Weckleinius), aut dimetrum dochmiacum cum cretico coniunctum efficerent (velut Hermannus); quod non probamus: legimus enim in stropha: *φεῦ ταλαίναις φρεσὶν*, in antistropha: *ὀρθίοις ἐν νόμοις*. — Eumen. 266 (Steig. II, 28). — Eumen. 255: Seligerus (p. 22) legens *λεύσσετον πάντα μή* dimetrum paeonicum statuit cum dochmio coniunctum; sed dualis forma hoc loco inepta mihi videtur; plerique cum Hermanno: *λεῦσσέ τε πάντα μή;* melius fortasse Butleri *λεύσσεθ' ἅπαντα.*

Eurip. Bacch. 1018. 19. — Steigerus etiam Rhesi versum 136 = 200 huic coniunctioni ascripsit (⏑ — — ⏑ — / ⏑ — ⏑ — — ⏑ —); confer tamen, quae supra (p. 84) de hac re exposui; puto igitur alteram versus partem esse iambicam, ut dochmius duobus versibus iambicis cingatur.

Aeschyl. Eumen. 845=879: tradit. *τιμῶν δαμάν ... ὤν-θεῶν:* varie hic locus temptatus est: Hermannus eumque secutus Steigerus dimetrum dochmiacum restituunt (Steigerus hanc formam praebet — — ⏑ — ⏑ —); Seligerus Dindorfii, ut videtur, lectionem *δαναιᾶν θεῶν* recipiens (p. 11) inter dimetros creticos hunc versum enumerat: hoc perversum videtur, quoniam hoc metrum exstat: — ⏑ ⏑ — ⏑ — — — — — ⏑ —. Equidem maluerim *δαμοσίαν* legere et hanc vocem ad versum sequentem trahere, ut vv. 844 et 845 (usque ad vocem *τιμᾶν*) duo versus logaoedici exstent, quos trimeter dochmiacus sequatur.

Steigerus etiam in Eurip. Orest. v. 1418 hanc coniunctionem statuit; sed illam dochmii formam iam alio loco reiecimus; cum Schmidtio igitur *ἐμπεσὼν φόβῳ* legentes versum iambicum exstare censemus.

3. ⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ — // — ⏑ —

Aeschyl. sept. 95[1]). Pers. 657[2]).

Sophocl. Trach. 205. Eurip: Phoen. 169[3]). Bacch. 1021/22.

4. Ultimo loco ei versus commemorentur, in quibus cretici utrimque dochmiis cincti videntur: Aeschyl. Prometh. 577/79 pentameter creticus cingitur duobus dochmiis. Seligerus (p. 48) prorsus aliam proposuit partitionem: cui quamquam nihil obstat, tamen illam ut simpliciorem praeferam, praesertim cum antecedant dochmii. — Prom. 582: creticus cingitur dimetro et monometro dochmiaco. — Eumen. 270[4]). — ⏑ ⏑ — ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ ⏑ — ⏑ —.

Eurip. Phoen. 1543: cum Dindorfio *αἰθέριον* pro *αἰθέρος* scribentes dimetrum paeonicum utrimque dochmio circumdatum statuimus (conf. Steig. V, XVI); neque vero ei assentimur, si in versu 1536 verbis *πόδα δεμνίοις* ad antecedentia tractis eandem coniunctionem statuit. Ego usque ad verbum *γεραιόν* bacchios exstare puto.

Quodammodo huc pertinent Orest. vv. 1437—43: Qui antistrophicam responsionem statuunt, v. 1437 *ὦ* addunt et versum 1443 emendant, velut Porsonus: *φάιν ἵν' εἰδῇς ἐμάν*; alii, velut Nauckius et Steigerus (III, 14) usque ad v. 1440 bacchios statuunt, sed de sequentibus ne ei quidem idem censent. Ego hoc propono: cum Dindorfio et Schmidtio *ἕδραν* et *παλαιᾶς* transponam et praeterea in v. 1443 vocem *ἐμοὺς*, ut spuriam, omittam, ut haec evadat forma: ⏑ — — ⏑ — // — ⏑ — — ⏑ — / — ⏑ — — ⏑ — / — ⏑ — — ⏑ — / — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — / — ⏑ — — ⏑ — // ⏑ — — ⏑ —: sex igitur dimetri paeonici circumdantur utrimque dochmio.

---

1) Non assentimur Dindorfio, qui, ut trimetrum dochmiacum efficeret, *τίμια δαιμόνων* coniecit; neque magis Schmidtio (I, p. 314).

2) Recipimus Dindorfii lectionem.

3) Legimus cum Hermanno *ἁλίου* pro *ἀελίου*.

4) Hermanni mutatione (*τιν' ἀσεβοῦντες*) non opus est.



## § 2. Metrum paeonicum solum versum facit.

Steigerus brevissime de his versibus disseruit (V, XII—XIII) atque contendit longe maximam illorum versuum partem cum dochmiis aut antecedentibus aut sequentibus unum versum efficere. Quod non probamus, cum revera non pauci versus optimo iure proprie paeonici appellari possint. Ac primum de monometro dicatur.

Vidimus saepissime cum uno vel duobus dochmiis monometrum paeonicum sive anacrusi auctum sive non auctum intra eundem versum coniungi: iam quaeritur, num solae quoque illae formae (— ⏑ — et ⏑ — ⏑ —) versum efficiant. Priorem formam solam exstare Steigerus negavit; quod probo: unum enim, quod exstat, exemplum (Eurip. Herc. fur. 1203) facile cum dochmio sequente coniungitur. Minus tamen ei assentior, quod alteram formam (⏑ — ⏑ —) et ipsam plurimis locis cum dochmiis coniungendam esse putat. Atque id quidem concedam in media stropha dochmiaca illum monometrum anacrusi auctum melius cum dochmiis coniungi: velut Sophocl. Antig. 1267=1290: fortasse Aeschyl. sept. 151. 158. Alio loco hoc fiat necesse est, ne in duas partes verbum divellatur: Aeschyl. Agam. 1100=1107. Plurimis vero locis ille monometer initio exstat strophae dochmiacae, cuius structura optima plane periret, si illum monometrum solum versum esse negaremus. Aut igitur:

a) duo dimetri dochmiaci illa forma introducuntur, aut

b) dimeter dochmiacus cingitur monometro paeonico et dochmiaco hoc modo:

⏑ — ⏑ —
⏑ — — ⏑ — / ⏑ — — ⏑ —
⏑ — — ⏑ —

Exempla haec sunt; ad a): Sophocl. Ant. 1306; Oed. tyr. 1313=1321. — Eurip. suppl. 1077; Herc. fur. 900. Phoen. 317[1]). Ad b): Sophocl. Electr. 1232. — Eurip. Ion. 766; Troad. 1216. Rhes. 454; praeterea Soph. Oed. Col. 833=876.

---

1) Vox *χαρμονᾶν* ad versum praecedentem trahenda est.

Recte Steigerus monuit omnes fere eiusmodi versus effici interiectionibus aut vocativis. Valde autem cavendum est, ne omnibus locis, ubi illae exstant, metrum paeonicum statuamus. Nam saepius fit, ut iambici quoque versus illis vocibus (velut *ἰδοῦ ἰδοῦ, ἰὼ ἰὼ, αἰαῖ αἰαῖ*) introducantur, quibus omnibus locis iambicam dipodiam illam formam (⏑ — ⏑ —) appellare non dubitamus; conf. Eurip. Herc. fur. 893. 904; sunt denique nonnulli versus, ubi aliter esse metiendum antistrophae verbis demonstratur. Velut:

Eurip. Phoen. 1284 *αἰαῖ αἰαῖ* — — — —

1296 *φεῦ δᾶ φεῦ δᾶ* — — — —

Conferantur, quae Steigerus de hac forma disseruit (II, 4. 5).

Iam transeamus ad pertractandos dimetros, quos perpaucos solos versum facere Steigerus mea sententia falso iudicavit. Priusquam autem singulos versus enumero, monendum est, strophas plane vel maximam partem paeonicas nisi duas statui non posse. Quas, cum maximam partem ex dimetris constent, hoc loco tractare mihi in animo est.

Aeschyl. suppl. 418—422; 418: trimeter paeonicus; 419. 20. 21. 22: quattuor dimetri. De responsione postea dicetur.

sept. 166—173 = 174—181: 166 dimeter paeonicus anacrusi auctus; 167: trimeter anacrusi auctus; 168. 170: duo dimetri; de v. 169 vide p. 87; v. 168 = 176[1]; v. 170 = 178[2].

Quodammodo huc pertinent Eurip. Orest. vv. 1420—24, ubi antecedentibus dochmiis dimetro paeonico clausis quinque dimetri paeonici nullo alio metro interrupti tanquam systema quoddam efficiunt (conf. Rossb. III, 799).

Ceteri dimetri ita enumerantur, ut primum ei, qui ab arsi incipiunt, deinde ei, qui anacrusi aucti sunt, tractentur:

Ab arsi incipientes:

Aeschyl. Choeph. 153; Eumen. 160.

Sophocl: Electr. 1384; Antig. 1263; Ai. 887 = 932:

---

[1]) In antistropha recipimus *φιλοπόλεις* (Wunderlich).

[2]) Antistrophae verba corrigenda sunt; maxime mihi arridet Hermanni *δ' ἥξετε*, vel *δ' ἔλθετε* (sic alii).



Steigerus (V, VIII) hunc versum esse tetrapodiam trochaicam putavit, cum „totius strophae numeri essent mixti"; attamen eadem de causa etiam paeonicum eum esse possumus affirmare. — Ai. 903 = 949; Oed. Col. 1454.

Eurip. Hec. 1081: — ⏑ — — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —. Seligerus de hoc versu secum pugnare videtur, cum p. 40 tetrametrum paeonicum eum esse censeat, pag. 6 autem inter versus ex trochaeis et creticis compositos eum enumeret. Hipp. 362 = 669: ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — (cf. Steig. II, 26; Selig. 27). Rossbachii schema primi versus non intellego, cum, quae legi velit, non dicat. (III, 794). — Hel. 635. Phoen. 320. 321 (?); vide supra p. 80. — Orest. 317. 18: Rossbachius versus trochaicos syncopis et solutionibus distinctos exstare censet. Ceteri omnes — excepto Schmidtio, qui falso palimbacchios statuit — dimetrum paeonicum (v. 317) et dochmium (318) exstare putant, quibus assentior, ea maxime causa commotus, quod dochmii subsequuntur. (Conf. Steig. III, 4; Selig. p 10; 27.) — Orest. 1419; de vv. 1420—1424 vide supra. — Alcest. 399. Fortasse etiam in Bacch. versu 983 metrum paeonicum suspicari licet particula ἤ ad hunc versum tracta; sed discrepat ab antistrophae versu 1003, ubi dochmius exstat; res igitur dubia est. (Conf. etiam Rossb. III, 798 fin.)

Dimetri anacrusi aucti:

Aeschyl. sept. 78[1]); 83. 84[2]). — Agam. 1124 = 1135; neque tamen omnino reiciendum est, quod Steigerus (III, 7 not. 1) proposuit: statuit enim contractis versibus 1123 et 1124 dimetrum paeonicum cinctum utrimque dochmio. — Eumen. 160. 262.

Sophocl. Ai. 394; Oed. Col. 1454[3]): — Eurip. Ion. 1499. 1500 (catal. in syll.). — Electr. 1154 = 1162 (conf. Steig.

---

[1]) Traditum *θρέομαι* cum Hermanno mutamus in *θρεῦμαι* (cf. Stg. III, 24).

[2]) Dindorfius dochmios restituit; assentior Steigero (III, 25 not. ad v. 6), qui dimetrum paeonicum statuit.

[3]) Steigerus hoc loco versum iambicum statuit, quod non probamus.

III, 4; V, XVI): suppl. 1074; Alcest. 396: ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏓ (?).

Praeterea Steigerus duobus locis dimetrum paeonicum statuit: Aeschyl. Eumen. 257: traditum: *ὁ δ' αὖτε γοῦν ἀλκὰν ἔχων* mutavit (II, 28) in: *ὁ δ' αὖτε γ' ἀλκὰν ἔχων* (conf. Selig. p. 29); attamen nescio an Weckleinii sententia praeferenda sit (in editione commentario instructa ad v. 258; append. p. 265), qua trimetrum iambicum restituendum esse putavit, praesertim cum sequentes quoque chori partes quinque trimetros iambicos initio praebeant. — Eumen. 839: (Steig. III, 17); cum Hermanno tamen particula *φεῦ* deleta dochmium statuere malo; atque etiam v. 784 meo indicio recte plerique editores metrum dochmiacum restituere conati sunt.

Trimetri paeonici hi sunt:

a) ab arsi incipientes: Aeschyl. sept. 122: maxime hoc loco mihi placet sententia Steigeri legentis *διαδετοὶ δὲ γενύων ἱππίων*, ut trimeter paeonicus exstet: alii aliter coniecerunt. — Sept. 565: Seligerus (p. 31) Christium (§ 456) secutus et ipse trimetrum suspicatur, cuius ultimo loco bacchius statuendus est. Quod minime probo; ego sic hunc versum metiri velim: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — ⏑ / — —; quamquam concedo rariorem esse talem versus formam, quam ut certam eam esse affirmem. — Suppl. 418 (cf. p. 92); 428 = 433. Agam. 1142: similis est hic versus ei, quem modo tractavimus (sept. 565); iudico enim hanc trimetri formam exstare: ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ — / — —; sic etiam Seligerus p. 37. Tetrapodia vero logaoedica, quam Steigerus (III, 21) statuit, totum metrum strophae turbat, quae exceptis duobus trimetris iambicis ex dochmiis et paeonibus composita est. — Sophocl. Electr. 1249: trimeter hanc formam habet: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑; sic etiam Dindorfius, Steigerus (III, 10), Seligerus (p. 32); contra Rossbachius (III, 787) dipodiam iambicam coniunctam esse censuit cum dochmio hoc modo: — ⏑ ⏑ / ⏑ — // ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑, quod non probamus. — Oed. tyr. 665: nescio an cum Gleditschio (p. 81) et Seligero (p. 32) trimeter paeonicus sit statuendus: le-



gendum fortasse *γᾶς φθορᾷ*[1]). — Eurip. Hecub. 1089[2]). Troad. 1069 = 1079: Seligerus (p. 16) rhythmum paeonicum statuit receptis Hermanni emendationibus, nisi quod antistrophae verba *ὀλομένας* et *πόλεος* transposuit: cuius mutationis causam non video: respondet strophae cretico in antistropha paeon quartus; qua in re si quis offendit, legere licet *ἀελίῳ*; quamquam primam illius vocis syllabam brevem iudicare cum Schmidtio dubito.

Orest. 1377: non habeo, quod a versuum divisione usitata discedam. Seligerus hunc versum falso inter trimetros ex paeonibus quartis constantes enumerat (p. 37). Steigerus, quamquam sic dividi posse non negat, tamen in schemate (III, 28) plane aliter singulos versus seiunxit. —

Seligerus (p. 31) etiam Aeschyl. sept. v. 86 trimetrum paeonicum exstare censet et mirum in modum sic metitur: ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ / — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓, ut vox *θεαὶ* in duas partes divellatur, quod non probamus; immo trimeter dochmiacus statuendus est. Quomodo autem in Eurip. Phoen. v. 103 trimetrum paeonicum efficiat, in quo „creticus iuxta paeonem quartum collocatur" (p. 15. 37), mihi non est perspicuum. Exstat hoc metrum:

⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ — — ⏑ —

Praeterea Seligerus (p. 37) falso Baccharum versum 995 = 1015 trimetris ascripsit: nam vox *Ἐχίονος* hanc habet mensuram ⏑ — ⏑ ⏑ (cf. Pind. Pyth. IV, 179).

b) trimetri ab anacrusi incipientes:

Aeschyl. sept. 106: Dindorfius *ὦ* mutavit in *ἰὼ* et vocem *δαῖμον* omisit, ut bacchios efficeret; alii, velut Steigerus (III, 24), iambicum esse versum censuerunt. Meo iudicio *ὦ* tenendum, sed *δαῖμον* omittendum est, ut haec versus forma evadat — — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —. Hoc eo magis placet, quod ineunte versu proximo creticus exstat. — Sept. 481: verba in stropha tradita: *ἐπεύχομαι δὴ τάδε μὲν*

[1]) Steigerus (III, 13) hoc loco trochaeos syncopatos exstare censuit.

[2]) Verba *ἰὼ Θρῄκης* ad praecedentem versum trahenda sunt.

*εὐτυχεῖν* ad sensum bene quadrant, ut mutatione opus non esse videatur: statuimus igitur trimetrum paeonicum. Steigerus nonnullis correcturis paeonem et dochmium restituit. Schmidtius, qui hanc dochmii formam ⏑ — ⏑ — statuit, non est audiendus. Iam igitur antistrophae versus perperam traditus videtur. Ipse conieceram *πέποιθα δὴ τὸν Διὸς ἐναντίον*, quam emendationem iam ab alio propositam esse postea vidi. — Agam. 1156.[1]). — Eumen. 148 = 154: (sic etiam Steig. II, 30; Selig. 38).

Sophocl.: Trach. vv. 209—211 fortasse ita dividendi sunt, ut contractis verbis *ὁμοῦ — ἀνάγει* trimeter paeonicus evadat, quem trimeter iambicus sequitur (*ὦ παρθένοι — ὁμόσπορον*).

Eurip. Electr. 1169: Assentior Steigero (III, 5), cum nulla re traditum verborum ordinem mutare cogamur.

Postremo commemoretur Agam. v. 1001 = 1018: verba in antistropha tradita *πεσόνθ' ἅπαξ* facile mutantur in *πεσὸν ἅπαξ*. Schmidtius *ἅπαξ πεσὸν* traditum esse falso arbitratus strophae verba mutavit; alii alia coniecerunt (cf. Wecklein, append. p. 177. 178). Seligerus (p. 35 sqq.) *ἅπαξ πεσὸν* scribens dochmios suspicatur; sed dochmii haec forma — — ⏑ ⏑ — —, cuius exemplum certum nec Rossbachius (p. 776) nec Steigerus (IV, VIII) affert, vix probabilis est. Hermannus *πεσὸν ἅπαξ* retinens trimetrum paeonicum exstare putavit; sed cum stropha maximam partem trochaica sit, cum Rossbachio (p. 211) verbis *πεσὸν* et *θανάσιμον* transpositis duas tetrapodias trochaicas statuere malim; strophae tamen versum ad hoc tempus sanare non potui.

Restat, ut pentametri paeonici, qui perpauci exstant, proferantur. Sunt autem hi:

Eurip: Hecub. 1090: Rossbachius *Ἄρηϊ* legens dimetrum paeonicum statuit (— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —). Compluria mutavit Hermannus, ut responsionem efficeret (cum versu 1100); quod non probamus. Ego traditum *Ἄρει* retinere, sed Hermanni particulam *τε* (de qua vide eius adnotationem ad v. 1061)

[1]) *ἰὼ* semel scribendum.



addere velim: iam igitur hic versus cum priore coniungi potest, ut pentameter exsistat:

— ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ — / — ⏑ — / — ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑

v. 1100: tradita verba: *αἰθέρ' ἀμπτάμενος* ad metrum non quadrant. Hermannus coniecit *αἰθέριος*, quod recepit Seligerus (p. 22). Ipse vero Hermannus postea recte meo iudicio illud *αἰθέρα* glossam esse intellexit verborum *οὐράνιον μέλαθρον*; omissa igitur illa voce pentameter evadit: — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —.

Phoen. 316. 17. — 1524. 25: sunt, qui hanc mensuram proposuerint: ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —; nescio autem, an alia mensura praeferenda sit.

Iam ad finem perducta esset quaestio de tragicorum versibus paeonicis, nisi una restaret stropha, ubi cum dactylico metrum paeonicum compositum esse pro certo affirmare possumus: est autem Eurip. Baccharum parodi epodus (v. 135—167), qui hoc ultimo loco tractetur. Atque Christius (p. 226) in priore quoque illius parte metrum paeonicum inesse censuit: v. 135. 36: ex illius sententia dimeter paeonicus antecederet versui logaoedico: mihi tamen magis placet Rossbachii (p. 727 sqq.) aliorumque lectio *οὔρεσιν* et *εὖτ' ἂν*, cum saepius eiusmodi versus in hoc epodo occurrat (cf. vv. 146. 147. 155). Neque non in vv. 137. 138 Rossbachio assentior. Nam Christius vocum *νέβρις* et *ἀγρεύων* syllabam primam falso metiri videtur. Idem dicendum est de versus 140 voce *Φρύγια* (cf. v. 159). — v. 141: Rossbachius dochmium et bacchium exstare censet: quod non probo, cum haec dochmii forma ⏑ — — — ⏑ ⏑ rarissime statui possit; (conf. Steig. IV, VIII). Ego aut versum trochaicum iambica basi praeposita (⏑ — / — — ⏑́ ⏑ ⏑ — —), aut trimetrum paeonicum (⏑ / — — / — ⏑ ⏑ ⏑ / — —) exstare censeam. Sed inde a versu 157 nonnulli versus paeonici certe statuendi sunt (cf. Steig. I, 51): v. 157: dimeter paeonicus coniunctus cum dactylico. — v. 160: dimeter paeonicus, quem ad versum cum Rossbachio verba sequentia traho, ut idem metrum efficiatur atque in versu 157. — 163. 64: trimeter paeonicus.

## § 3. De structura stropharum ex paeonibus et dochmiis compositarum.

Quamquam audacius videtur in tanta stropharum dochmiacarum varietate certas formandi leges statuere, tamen revera inesse in illis certum quendam modum hac paragrapho demonstrare mihi in animo est. Plurimis locis versus plane paeonici vel ex paeonibus et dochmiis compositi totius strophae aut initium faciunt aut finem. Ex permagna exemplorum numero nonnulla afferantur. **Ineunte stropha:**

a) versus plane paeonici:

1. monometri: Sophocl. Electr. 1232; Antig. 1306; Oed. tyr. 1313. — Eurip. Troad. 1216; Ion. 766.

2. dimetri: Aeschyl. sept. 78. — Soph. Ai. 394. — Eurip. Hipp. 362. Orest. 317.

3. trimetri: Aesch. sept. 481; Agam. 1136. — Eurip. El. 1169.

b) versus ex paeonibus et dochmiis compositi: Aesch. sept. 96. 110; suppl. 347. 370. — Soph. Antig. 1261; Ai. 348. — Eurip. Ion. 1489. 90. 91; Hipp. 866; Troad. 241; Herc. fur. 744.

c) versus ex dochmiis et paeonibus constantes: Soph. Trach. 205. — Eurip. Med. 1251; Bacch. 1018/19?

**In fine strophae:** a) versus plane paeonici:

1. dimetri: Aeschyl. Agam. 1124; Eumen. 160. — Soph. Ai. 903. — Eurip. Ion. 1499. 1500. Hel. 635; El. 1154.

2. trimetri: Aesch. Eumen. 148.

b) versus ex paeonibus et dochmiis compositi: Aeschyl. Prom. 573. Eumen. 172; suppl. 738. — Eurip. Herc. fur. 739. 746. 921.

c) versus ex dochmiis et paeonibus constantes: Aeschyl. sept. 95. Prom. 588; Agam. 1118. — Eurip. Phoen. 169. 189. Bacch. 1021. 22.

Quodammodo huc pertinent ei versus, qui aut ante dochmios aut post dochmios positi, tanquam transitum ad aliud metrum parant. Velut: Aeschyl. Eumen. 262; Choeph. 153.



sept. 106. 122. — Sophocl. Oed. Col. 1454; Oed. tyr. 665. — Eurip. Hecub. 1081. Orest. 1377.

Multo autem minor numerus est earum stropharum, ubi versus paeones continentes duobus versibus dochmiacis interpositi sunt:

a) plane paeonici:

1. monometer Soph. Ant. 1267.

2. dimetri: Soph. Antig. 1263. Aiac. 887. — Eurip. Phoen. 320. 321.

3. trimetri: Aesch. sept. 565. Agam. 1112. — Sophocl. Electr. 1249. — Eurip. Hecub. 1089.

b) versus ex paeonibus et dochmiis compositi: Aeschyl. Prom. 575. 576; sept. 114; Agam. 1408. — Soph. Philoct. 400. — Eurip. Ion. 724. Phoen. 346. Orest. 179. Bacch. 989. 981. 1170.

Saepius horum versuum coniunctio ea est, ut versum creticum sequatur cretico-dochmiacus, deinde plane dochmiacus, vel dochmium dochmiaco-creticus, deinde creticus: quare quasi transitus quidam inter utrumque metrum fit hoc modo:

1. — ◡ — ◡ — — ◡ —
2. — ◡ — / ◡ — — ◡ — aut ◡ — — ◡ — / — ◡ —
3. ◡ — — ◡ — — ◡ — — ◡ —

Exempla haec sunt: Aeschyl. sept. 107. 482. Agam. 1123. 1143. Choeph. 152.

Reliquis locis, qui pauci sunt, versus illi paeonici metris maxime variis intra eandem stropham intermixti exstant, ut cum iambis, trochaeis, logaoedis, bacchiis, aliis metris coniuncti videantur. Velut: Aeschyl. Agam. 1117. Eum. 786. sept. 116. — Soph. Trach. 210. 211; Ai. 396. 889. Oed. Col. 1450. — Eurip. Hec. 1092. Troad. 269. 1069. Hec. 1089. 90; Phoen. 316. 317.

## § 4. De pedibus, ordinibus, responsione, anacrusi, syncopa, catalexi.

Perpauca hac paragrapho de usu ac ratione metri paeonici apud poetas tragicos disserenda sunt, cum permulta iam

in prioribus huius capitis paragraphis tractaverimus. Comparantibus autem nobis et tragicorum et comicorum lyricorumque usum, cum his magis illos consentire inprimis ex singulorum pedum usu apparet: etenim tragici quoque creticum frequentissime usurparunt, ut trecentorum fere locorum plus ducentos teneat; contra primus et quartus paeon numero fere pares (quadragies) exstant; pentabrachyn autem sexies (Aeschyl. sept. 565 (?); Agam. 1112. — Eurip. Orest. 185. 86 (bis); Troad. 269. Orest. 1437/43), creticum *κατὰ τροχαῖον* semel (Aesch. sept. 565?) statuimus.

Neque non in ordinum singulorum usu similitudo quaedam inter lyricos et tragicos statuenda est: aeque enim atque illi monometro paeonico tragici frequentius usi sunt, quem et ipsi plerumque cum alio metro intra eundem versum coniunxerunt. Perpaucis locis solus versum facit. Vide p. 91. 92.

Dimeter paeonicus apud tragicos quoque usitatissima metri forma est: sed saepius solus versum facit. Trimetrum vero eodem modo atque lyrici uno excepto loco (Orest. 185. 86) nusquam cum alio metro coniunxerunt, sed solus versum efficit.

De ordinum usu paucis disserendum est:

1. De monometro paeonico iam antea fusius disputavimus; vide p. 91. 92. Hoc unum adnotetur plurimis locis eum constare ex cretico. Primum autem paeonem his in versibus habemus: Aesch. Pers. 664. — Eurip. Ion. 1489. Iph. Taur. 852. — Quartum: Eurip. Hipp. 1278. Bacch. 1021. 22. Herc. fur. 910. Hel. 661. 662.

Neque plura dicenda sunt de dimetris: Nam ex eis, quae modo de pedum formis explicavimus, elucet saepissime dimetrum ex solis creticis constare: et revera tales dimetri e tribus partibus duas continent. Ex ceteris formis primo loco illa apud comicos frequentissima nominetur (— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —), quae octies invenitur. Praeterea hae commemorentur: — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — (quinquies), ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — (quater); — ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ —. Discrepant autem tragici et cum comicis et cum lyricis, quod saepius singulis



dimetris versus efficiunt, cum illi plerumque binos vel ternos artius coniungant: sed ne apud tragicos quidem desunt huius usus exempla: Aeschyl. suppl. 419. 421. Eumen. 160. — Soph. Oed. Col. 1454. — Eurip. Hec. 1081.

3. In trimetris non aeque creticus praevalet atque in dimetris et lyricorum in trimetris: nam tres tantum ex puris creticis constantes statuimus; ex reliquis formis hae enumerentur: — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — (quater). — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ (bis), ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ — (ter).

4. De pentametris nihil fere addendum est, cum proprio quemque loco accuratius tractaverimus. Ad unum autem omnes inter se sunt diversi; quamquam similitudo quaedam statui potest inter Eurip. Phoen. 316/17 et Aeschyl. Prom. 577: ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —
— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —

5. De responsione: Metrum paeonicum cum dochmiaco coniunctum saepissime in monodiis invenitur, cum numerus carminum antistrophicorum, in quibus paeones insunt, multo minor sit: in his vero responsionis leges accuratissime esse servatas concedendum est. Etenim quinque tantum locis illa ita neglecta est, ut cum cretico paeon quartus commutetur: Sophocl. Ai. 887 = 932 — ⏑ — ⏔ ⏑ —. — Eurip. Herc. fur. 744 = 757 ⏕ ⏑ — ⏕ ⏑ — (bis); Troad. 1069 = 1079 — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ ⏕ ⏑ —. — Aeschyl. suppl. 418 = 423: — ⏑ — — ⏑ — ⏕ ⏑ —. — Falso autem Seligerus (p. 14) iudicasse videtur in versu 421 = 426 respondere creticum primo paeoni: — ⏑ ⏔ ⏕ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —; etenim vox *ὕβρις* apud tragicos hanc plerumque habet mensuram: ⏑ ⏑, *ἀνὴρ* autem compluribus locis *ᾱ* praebet; exstare igitur videtur responsio antistrophica. — In Aeschyl. sept. versu 176 pro *φιλοπόλιες* recipimus Wunderlichi *φιλοπόλεις*, ne pentabrachys respondeat paeoni quarto. Atque etiam sept. 170 = 178 responsionem restituimus legentes *δ' ἤξετε* vel *δ' ἔλθετε*.

Steigerus brevius de hac re egit V. XI. XII.

6. De anacrusi: In medio versu eam non esse statuendam, id quod Steigerus fecit, (vide III, 8 ad Eumen. v. 156) iam supra exposuimus p. 84.

Omnium versuum paeonicorum dimidium fere anacrusi auctum est; tragici igitur in hac usurpanda medium tenere videntur inter comicos et lyricos. Atque quinque versibus exceptis anacrusis brevis praeposita est. Uno loco statuimus bisyllabam (Eurip. Alc. 396?). Supervacaneum est omnes versus anacrusi auctos deinceps enumerare, cum iam in paragraphis prima et secunda a ceteris eos secreverimus.

7. De syncopa: Ne uno quidem loco haec invenitur: nam in Eurip. Bacch. versu 141 metrum trochaicum statuere malo (cf. p. 97).

8. Catalexin vero tribus locis exstare pro certo affirmem: duobus locis versus catalectici in syllabam (Ion. 1500; Agam. 1123), uno in bisyllabum (Aesch. Agam. 1112) statuendi sunt.

De Aeschyl. sept. versu 565 vide p. 94.

# VITA.

Natus sum, Paulus Giesemann, Waldenburgensis, anno huius saeculi LXVII a. d. VI. Id. Mart. patre Friderico, matre Johanna de gente Wittig, quam abhinc quattuor annos morte mihi ereptam magnopere doleo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus inde ab anno h. s. LXXVI patriae urbis gymnasium frequentavi. Maturitatis testimonium anno h. s. LXXXV adeptus ad hanc Universitatem litterarum Viadrinam me contuli, ut studiis cum theologicis tum philologicis operam darem. Audivi scholas vv. cll. L. Cohn, B. Erdmann, Foerster, Freudenthal, Hertz, Kuehl, Ed. Meyer, Reifferscheid †, A. Rossbach, O. Rossbach, Schultz †, Studemund †, Weingarten †, Wissowa, Zacher. Seminarii philologi sodalis fui per bis sex menses extraordinarius, per sex menses ordinarius moderantibus Martino Hertz et Guilelmo Studemund; nec non exercitationibus benigne me admiserunt archaeologicis A. Rossbach, philologicis et epigraphicis Wissowa, philosophicis Freudenthal. His praeceptoribus meis omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Inprimis vero Augustum Rossbach, Martinum Hertz, Guilelmum Studemund grata semper memoria colam.

# Sententiae controversae.

1. Falso Steigerus (de versuum paeonicorum et dochmiacorum apud poetas Graecos usu ac ratione part. II, 6. 7) putat cretici syllabam mediam irrationalem esse posse.
2. Theogn. eleg. v. 970 (ed. Ziegler) Ahrensii coniectura *νῦν δὴ γῆς*, quam et ipse feceram, tenenda est.
3. Aristophanis pacis versus 385—399 versibus 346—360 antistrophice non respondent.
4. Anacreonteorum carminis 25 versus 19 (ed. V. Rose) sic scribendus est:

   *Ἐρωτιδεῖς φορῆσαι.*
5. Creticum hanc formam: — ◡ ◡ — habere posse — id quod Schmidtius (Kunstformen der griechischen Poesie IV, 503) censet — nego.